reſpectus nullum fortaſſe ſe habuiſſent effectum, ſi mortalis eorum injuſtitiam, & inſaniam intelligere voluiſſet. Hic torrens cupiditatum nondum ſatis intumuerat, ut inſipientem hanc adoleſcentiam raperet: ſed ætatis progreſſu aquæ intumuerunt, ita ut factæ ſint in abyſſum irremeabilem, quæ tranſvadari non poteſt.

Neque arduum eſt cauſam aſſequi. Cupiditates quas in adoleſcentia cohibere neglexinus, dominatæ ſunt nobis; ita ut eas infringere nequeamus; cumque per negligentiam noſtram in naturam abierint, inde liberari vix poſſumus, niſi, ut ita dicam, per eſſentiæ noſtræ converſionem. *Idem*.

PECCATUM VENIALE,

MONITUM.

De veniali peccato aliquid jam attigimus, cum loqueremur de fidelitate in minimis rebus ſervanda, ubi docuimus nihil in Dei cultu negligendum eſſe: quod minime prohibebit, quominus fuſius hoc in loco ſub diverſo titulo loquamur. Scio equidem, concionatores infrequenter hoc pertractare argumentum apud populum, ſatis eſſe putantes, ſi concionibus ſuis illum a mortali peccato deterreant, atque materiam hanc Religioſis domibus, atque iis, qui pietatem profitentur reſervantes. Verum cum hanc aggreſſi fuerimus provinciam de quolibet argumenti genere pertractandi, concionatorum erit eligere, eaque auditorum ſuorum ſtatui, & captui accommodare. Quod ſi pauci ſunt hujus argumenti ſermones, plurimi tamen ſunt Aſcetici libri, qui ſatis ſuperque copis ſuppeditare pluribus, iiſque utiliſſimis concionibus poſſunt.

Animadverti ex auctoribus, qui argumentum hoc pertractarunt, alios in hoc immorari, ut oſtendant venialis noxa gravitatem majorem eſſe, quam vulgo exiſtimetur; alios diſſerere de illius effectibus, & pœnis, quas in hac, alteraque vita meretur; alios denique ob oculos ponere periculum, cui ſeſe objiciunt homines in mortale peccatum decidendi, ad quod veniale viam ſternit. Quamobrem ea, quacumque a nobis iſtic afferentur, ad hæc tria potiſſimum capita referuntur.

Quemadmodum concionatores hortari debent auditores ſuos, ne peccata venialia contemnant, & negligant, auctor illis eſſem, ne ipſi hoc argumentum negligerent, neque obiter, atque leviter dumtaxat attingerent, ſed quanti momenti ſit palam oſtenderent; neque enim ſolum Chriſtiani perfectio, ſed ſalus ipſa pendet a vigilantia, & cura, qua leviſſima etiam peccata evitanda ſunt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti lineamenta.

I. CUM tanta ſit humana fragilitas, atque tanta in malum proclivitas, conſtat, neminem, ſine peculiari Dei ope, ab idgenus peccatis omnino ſibi cavere poſſe; quancumque curam, & vigilantiam afferamus, plurima nobis ſemper elabentur; quandoquidem Spiritus ſanctus per os Sapientis nos admonet, juſtum, hoc eſt religioſum divinæ legis obſervatorem ſepties in die cadere. Reor autem utiliſſimum in paucis, quod hac in re eligi poſſit, argumentum eſſe veniale peccatum in fonte ipſo, atque principio, quod aliorum plurimorum cauſa eſſe conſuevit, oppugnare: videlicet in habitu, qui ubi ſemel radicitus ablatus fuerit, pauciora incauti committemus, ſcientes vero, ac volentes longe pauciſſima. Hanc igitur in rem oſtendi poteſt: primo malum, quod gignit habitus qui contrahitur, & licentia, quam nobiſmet vindicamus venialia peccata patrandi, a mortali dumtaxat abſtinentes. Secundo quam facile ſit adeo periculoſum habitum contrahere, niſi nobiſmetipſis diligentiſſime invigilemus. Hæ duæ ſunt Concionis partes.

Pars prima. Si veniale peccatum in ſeipſo conſideratum grave malum eſt, & gravius, quam vulgo cenſeatur; quod igitur malum erit habitus in hoc peccatorum genere, ſi illum inoleſcere patiamur? 1. Efficiet, ut illa facile, ſine ſtimulis, ſine religione, qualibet in occaſione, pro qualibet cauſa temere, & inconſulto committamus. In quem autem deplorabilem ſtatum hæc peccatorum multitudo conſcientiam non rediget? In quod ſalutis periculum, atque divinarum rerum injuriam? Oſtendendum eſt, quouſque evadat hæc peccatorum multitudo, quæ per infelicem hunc habitum committuntur: contra Deum quidem per irreverentiam in templis, defectum attentionis in precibus, negligentiam in officiis eidem præſtandis, modicam in piis exercitationibus devotionem, modicumque in ejus cultu fervorem &c. contra proximum autem quot exigui aliorum contemptus, quot temeraria judicia, falſæ ſuſpiciones omni fundamento carentes? Quot leves iræ, acrimoniæ, & ſecretæ zelotypiæ, quæ ſexcentas obtrectaciunculas pariunt? Quot ultro citroque tum verba, tum facta nunciantur? Quot in converſationibus diſputationes, & controverſiæ, levia mendacia, irriſiones, voces parum prudentes inutileſque? &c. Quot idgenus peccata, quæ extrinſecus nunquam prodeunt, niſi per quædam indicia, quæ ipſi præbemus? quot vanitates, ſecretæ oblectatiunculæ, & res vanas ſciendi curioſitates? Quanta noſtrummetipſorum exiſtimatio; quot in opera noſtra bona animadverſiones, humani reſpectus, commodorum noſtrorum perquiſitiones, temporis jacturæ; quantum denique amoris proprii; &c. Quiſnam enumerando poſſet omnes aſſequi ſpecies, quarum actus in infinitum uſque procedunt, niſi eorum exhaurire adnitamur originem, habitum videlicet cujuslibet peccati ſingillatim, cujus principium eſt habitus generalis libere, & ſine metu committendi, quidquid mortale peccatum non eſt; ita ut vita noſtra non aliud ſit, quam non intermiſſa ſeries peccatorum, quæ ſupra capillorum capitis numerum multiplicantur. Verum quidem eſt, materiam hanc levem eſſe, ac plurimas venialium peccatorum myriades unum mortale peccatum afficere nequaquam poſſe: ſed ſi eorum gravitas metuenda non eſt, inquit Sanctus Auguſtinus, metuenda ſane eorum eſt multitudo: *Si non expaveſcis, quod appendis, expaveſce quod numeras*. 2. Alterum malum, quod hic habitus parit, hoc eſt, quod impares nos facit alicui veræ virtuti exercendæ; quia optimas actiones noſtras corrumpit vanitate, humanis rationibus, ſui ipſius amore; & quin ex illis præmium expectemus, ſupplicia metuenda ſunt. Prohibet, ne ullum acquiramus meritum, & modicum illud boni, quod facimus, tantum mali habet admixtum, ut vita noſtra ſimilis dici queat agro, de quo loquitur Evangelium, ubi ſolium prohibet, ne bonæ fruges adoleſcant. 3. Hic idem venialis peccati habitus ſerius ocyus nos in mortale peccatum præcipites agit propter rationes, quæ paſſim hoc in tractatu memorantur.

II. Pars altera: oſtendendum eſt, quam facile, immo etiam familiare ſit adeo perniciofum habitum contrahere. 1. Etenim cum virtutis, vitiique actus naturaliter habitum provocant, cumque veniale peccatum citra damnationis æternæ metum committatur, qui nos deterret, ne in mortalia ruamus, ideoque ſine vigilantia, & præcautione, quamprimum hic producitur habitus, qui cum ad recentia committenda nos adigat, viciſſim alter alterius eſt cauſa. 2. Propenſio, qua proponi ſumus in malum, ac ſcelus, efficit, ut ſine ulla difficultate habitus efformetur, cum e contra non ſine gravi difficultate in bono, ac virtute habitus acquiratur. 3. Veniale peccatum non æque perhorreſcimus, ac mortale; quam ob cauſam negligentia, qua illud evitamus, efficit, ut in eo ad mortem uſque perſeveremus, & ſæpe etiam mortem animæ parit.

Cum

Cum veniale peccatum ſit morbus animæ, pro modulo ſuo eoſdem in hac anima parit effectus, quos morbus corporalis in corpore. 1. Illius aufert pulchritudinem, & quamvis non deleat omnino omnia lineamenta divinæ ſimilitudinis, quæ Creator impreſſit, eam tamen deformat, & fœdat. 2. illam infirmat, ac potiorem virium adimit partem; itaut longe imbecillior ſit, & apta minus, quæ violentis inimici tentationibus obnitatur. 3. Illam diſponit morti peccati lethalis, quemadmodum corporis ægritudo via eſt, quæ ad ſepulchrum adducit.

III. 1. Quantumvis levia ſint vulnera, quæ veniale peccatum animæ infligit, illius tamen debilitant, imminuuntque vires, ita ut vix inimicis conſiſtat. 2. Quantumvis leves hæ maculæ ſint, animam coinquinant, ac ſpeciei illius labem offundunt. 3. Quantumvis veniales hæ ſint noxæ, illæ tamen in hac, alteraque vita ſevere puniuntur.

IV. 1. Crimina ſunt, quorum habitum contrahere periculoſiſſimum eſt. 2. Levia ſunt crimina, quæ ad majora, gravioraque committenda promptiores, & audaciores nos faciunt. 3. Crimina ſunt, quæ negliguntur, ſed quæ inimico ſalutis noſtræ robur addunt, & animum.

V. Veniale peccatum eſt depoſitio, ac tranſitus ad peccatum mortale. 1. Quia peccator levia iterando crimina, metum abjicit, quo a gravioribus deterretur, & hoc pacto a levibus gradum facit ad gravia. 2. Quia charitatis fervore repeſcente viciſſim tepeſcit erga peccatorem Deus, ſuaſque retrahit gratias, quibus anima fulciebatur, & prohibebatur, ne in deteriora prorueret. 3. Quia dæmonis ars eſt, nos primum ad minora ſollicitare peccata, ut deinde in graviora facilius labamur.

VI. Veniale peccatum ſub duplici, eaque diverſa ratione poſt conſiderari. 1. Ratione Dei, qui læditur; ubi illatæ eidem contumeliæ magnitudo oſtendenda eſt: 2. ratione hominis, qui imbecillior fit, ac ad malo, & tentationibus reſiſtendum ineptior.

VII. In hoc unice immorari poſſumus, ut venialis peccati gravitatem oſtendamus. 1. Gravitatem quoad Dominum, cui famulamur, pro virili aliquam adſtruentes ideam magnitudinis, potentiæ, bonitatis, ac multitudinis beneficiorum ejus; unde inferri poteſt; veniale peccatum, quantumvis leve videatur, eſſe tamen rebellionem, ingratitudinem, & injuſtitiam, quam erga Deum committimus. 2. Gravitatem quoad ſubjectum, pro quo eum lædimus; ſi enim de vita noſtra, de bonorum, honoriſque jactura ageretur, omnia ſacrificare teneremur, potiuſquam vel minimam noxam committeremus: multo vero magis cum de nihilo agatur; cum levem aliquam curioſitatem, vel affectionem explere velimus. 3. Gravitatem quoad modum, quo eum lædimus: etenim nos hæc peccatorum genera committimus ſæpe per habitum, ſæpe libere, nonnumquam data opera, cum voluptate, coram Deo, ſine ulla legum, & mandatorum illius obſervantia.

VIII. Quamvis peccata venialia mortem animæ non afferant, ubi intra ordinem, gradumque venialium peccatorum conſiſtant: attamen triplici ratione nos in ſalutis noſtræ diſcrimen adducunt: 1. Suo videlicet numero, ac multitudine, quæ Deum provocat ad iracundiam, efficitque, ut Deus ſuas ſubtrahat gratias, atque ſubſidia in urgentibus occaſionibus, in quibus hoſtili tentatione ſuperamur. 2. Affectu erga quædam peccata, & in quadam materia, quæ juſtum ſuppeditat ambigendi argumentum, utrum quod veniale dicimus, mortale ſit. 3. Difficultate, qua noſmet intra venialium peccatorum fines continere poſſumus, quin eos tranſiliamus cancellos, qui venialia a mortalibus diſcriminant.

IX. Tria in venialibus peccatis maximopere ſunt metuenda. 1. Eorum numerus, & multitudo, cum ſine metu, & data opera agglomerantur; Deus enim ſuas ſubtrahit gratias, atque auxilia, prout peccata multiplicantur. 2. Diſtricta ratio, quæ extremo judicii die erit reddenda: *De verbo otioſo rationem reddent in die judicii*. Matth. 12. 3. Vis, hoc eſt impreſſio, quam faciunt in nobis: nos infirmant, efficiuntque, ut in periculoſis occaſionibus ſuperemur.

X. Pro argumento, ac partitione concioni aſſumi poteſt duplex hæc veritas quam ſolidis probare argumentis facillimum eſt.

Prima eſt; difficillimum eſſe, in gravia peccata non labi eum, qui levia contemnit. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet*. Eccli. 19.

Altera; qui vel levia timet crimina, nunquam in majora decidere.

XI. Veniale peccatum efficit, ut magna amittamus bona, ſingularem Dei protectionem, blanditias & conſolationes Dei. 2. Magna nobis in hac, alteraque vita mala, pœnaſque adfert. 3. Ad graviora etiam diſponit, videlicet ad mortale peccatum, quod reapſe malorum omnium eſt maximum, & reliquorum origo.

XII. Quemadmodum verum eſt dicere, veniale peccatum medium eſſe inter ſummum malum, quod peccatum mortale eſt, & reliqua mundi mala; tres inde veritates inferri poſſunt, quæ juſtum ejuſdem metum nobis parere poſſunt.

Prima eſt, quod cum inter duos hoſce terminos medium teneat, ideo poſt mortale peccatum, maximum eſt, quod inveniri poſſit, malum; quod illius nequitiam, & gravitatem nobis oſtendit.

Altera eſt, quod tranſitus eſt ab uno ad alterum, tanquam via, quæ inter duas interjacet urbes, ideoque earumdem eſt communicatio. Quod nobis oſtendit, cuinam periculo noſmet objiciamus, illud ſine ulla præcautione committentes.

Tertia denique; quod ſi minus eſt integra animæ ſeparatio Dei, uti eſt mortale peccatum, quod abſolute infringit amicitiam, quam ille nobiſcum contrahere dignatur; ſaltem oſtaculum eſt gratiis, & favoribus ejus, prohibetque, ne arcto illi vinculo adhæreamus, quemadmodum, quidquid inter extrema duo locum tenet, prohibet, ne mutuo tangantur; quod pernicioſiſſimos ejuſdem effectus oſtendit. *Ex Auctore ſermonum in omnia Ethica Chriſtiana argumenta tom. 3. argumentorum particularium.*

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas.

Sancti Patres.

SAnctus Auguſtinus *tract. 12. in Joannem* levia peccata guttis aquæ comparat, quæ multiplicatæ ingentes fluvios componunt, & arenæ granis, quæ opprimunt, cum in cumulum glomerantur.

Idem *in Epiſt. 12. ad Seleucianum* iiſdem comparationibus utitur.

Idem *lib. 50. Homil. 50.* oſtendit, quantum diſpliceant Deo hujuſmodi peccata.

Idem *l. de Sancta Virginit.* docet, neminem levibus peccatis, quæ noſtram fallunt vigilantiam, immunem eſſe.

Idem *l. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione* hoc ipſum oſtendit, & fuſius adfert rationes.

Idem *in Pſalm. 39.* Hæc explicans verba: *Super capillos capitis mei multiplicata ſunt iniquitates meæ*; ait hujuſmodi peccata numerari non poſſe; tantus eorum numerus eſt.

Idem *in Enchrid. l. 8. cap. 79.* docet, non deeſſe peccata, quæ levia videntur, & in oculis Dei magna ſunt.

S. Gregorius *Paſtor. 3. part. admonit. 34.* oſtendit venialia peccata ſæpe gradum eſſe ad mortalia; & quanam vigilantia evitanda ſint.

S. Gregorius Nazianzenus *in Orat. de fuco* oſtendit levia in religionis crimina magis deformia videri, quam gravia in ſæcularibus.

S. Bernardus *ſerm. de triplici cuſtodia* hoc ipſum docet.

Idem *in Serm. de eo, quod legitur in Job, in ſex tribulationibus &c.* oſtendit, quanam ſeveritate in altera vita punientur peccata venialia, quæ in hac expiata non fuerint.

Idem *Serm. 1. in Converſ. S. Pauli* oſtendit peccata, quæ data opera committuntur, & in quibus corrigi nolumus, blaſphemias eſſe contra Spiritum Sanctum.

S. Baſilius in oratione *de Peccato* fuſius probat, quædam peccata, quæ levia a nobis creduntur, coram Deo eſſe gravia.

Idem homilia ſeptima oſtendit difficultatem ſanandi eum, qui credit, & dicit, ſe venialia tantum peccata committere.

S. Hieronymus in epiſtola, qua amicum quendam in divinæ legis ſcientia erudit, docet, ſuperbiam, & præſumptionem eſſe levia peccata negligere; & eorum adfert exempla, qui in hac vita ſevere ob eadem puniti fuerunt.

S. Ephrem *tract. de Virtutibus, & vitiis C. de intemp.* etiam atque etiam hortatur fratres ſuos ad levium criminum fugam.

S. Chryſoſtomus *Hom. 12. in cap. 7. ad Rom.* oſtendit artem non decidendi in gravio peccata eſſe evitare minora.

Idem *Hom. 8. in primam epiſt. ad Corinth.* oſtendit periculum, quod minimorum criminum negligentiæ adjacet.

Idem *Hom. 60. in Geneſ.* loquitur de pœnis, quibus levia peccata in altera vita puniuntur.

Cæſa-

Cæſarius Arelatenſis *Homil.* 29. de veniali peccato verba facit.

Richardus a S. Victore 1. *part.* agit de venialis, mortaliſque peccati diſcrimine.

Gerſon *part.* 2.

Aſcetici aliique.

Granatenſis tractatu de oratione, & meditatione c. 3. §. 1.

P. Gaudier *lib. de perfect. natura, & cauſis ſect.* 2. *cap.* 13. *& ſeq.*

Alphonſus Rodriquez *tract.* 1. *cap.* 9. *&* 10.

Jacobus Alvares *de Extinct. vit. part.* 1. *lib.* 1. *c.* 6. *& ſeqq.*

Franciſcus Arias *tom.* 2. *c.* 8. *& ſeq.*

Nicolaus Lancius *Opuſc.* 16. per totum.

Bernardinus Roſſignolius *lib.* 2. *de diſcipl. relig.*

P. Antonius de S. Martino a Porta in libro, qui inſcribitur: *Les Conduites de la Grace*, part. 2. tract. 6.

P. *Saint Jure* libro tertio de cognitione, & amore Domini noſtri cap. 2.

Hortus Paſtorum *lect.* 8. *de Orat. Domin.*

Moralis Chriſtiana *lib.* 7. *ſect.* 1. *art.* 9.

Abbas Trappenſis tomo 2. de vitæ monaſticæ officiis cap. 7. quæſt. 3.

P. Nepveu in chriſtianis conſiderationibus tomo 1. pro die 9. Februarii.

Idem tomo 2. pro 14. Aprilis, & nona die die Junii.

Idem etiam in receſſu.

P. Dozenne in morali Jeſu Chriſti, ubi de rerum minimarum loquitur cura.

Præter Theologos, & Caſuiſtas, qui hoc pertractarunt argumentum, plurimi de eodem loquuntur, præſertim illi omnes, qui de ſolitudine, & receſſu ſcripſerunt. De Sancta Martha primo operum tomo amplum habet hujus argumenti tractatum.

Nuperi Concionatores.

Mathias Faber *in Domin.* 4. *poſt. Pentec. tom.* 2.

In collectione orationum Gallicæ Academiæ oblatarum anno 1701. quinque ſermones invenies de modicarum rerum negligentia, ubi ſermo quoque eſt de levibus, & venialibus noxis.

Engelgrave *Dom.* 6. *poſt Epiph.*

P. Girouſt, & P. Bourdalove in Quadrageſima ſermonem habent de rebus minimis, ubi fuſius de veniali peccato loquuntur.

Maſſillon ſub titulo rerum modicarum.

Joly peculiarem habet de veniali peccato concionem.

P. Valois tomo 4. operum vehementem habet hujus ad argumenti adhortationem.

Auctor actionum chriſtianarum tomo primo.

P. de Colombiere tomo 3. ſermonem integrum habet.

Lambert Doctor Sorbonicus in ſermonibus Eccleſiaſticis ſerm. 24. loquitur de vitæ eccleſiaſticæ perfectione.

Auctor ſermonum chriſtianorum in 24. Dominicam poſt Pentecoſten part. 4. loquitur de peccato veniali.

Auctor ſermonum moralium.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta tomo 3. argumentorum particularium.

Qui collectanea ediderũt.

Ludovicus Granatenſi in Sylva locorum communium tit. *peccatum veniale.*

Summa Prædicantium eodem titulo.

Peraldus tomo 1. cap. 25., & tomo 2. cap. 20. ubi de quinque rebus loquitur in veniali peccato metuendis.

Buſæus in Panario.

Labatha titulo peccatum.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Pſalm. 18.

Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. Pſ. 37.

Non eſt homo qui non peccet. 3. Reg. c. 8.

Septies cadet juſtus, & reſurget. Prov. c. 24.

Qui ſpernit modica, paulatim decidet. Eccli. 19.

Qui timet Dominum, nihil negligit. Eccle. 7.

Oſtende mihi quantas habeo iniquitates. Jobi 13.

Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Matth. 12.

Qui in modico iniquus eſt, & in majori iniquus eſt. Luc. 16.

Si quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit: dies enim Domini declarabit. 1. Ad Corinth. 3.

Uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. Ib.

In multis offendimus omnes, Jacobi 3.

Ecce quantus ignis quam magnam ſylvam incendit. Ib.

Non intrabit in eam aliquod coinquinatum. Apocal. 21.

Exempla ex Veteri Novoque Teſtamento deprompta.

Pœna uxoris Loth pro levi inobedientia.

CUM Angelus Domini eduxiſſet Loth, uxorem, filiaſque ejus e Sodoma, quam Deus igne de cœlo dimiſſo in cineres erat redacturus, cumque illis prohibuiſſet, ne poſt terga reſpicerent, ut quid in horribili ea conflagratione contingeret, intuerentur; vix illi ex urbe pedem extulerant, cum cœlum tonat omne fragore, fulgura micant, tonitrua murmurant, ſulphureique ignis deſcendunt turbines, ac auditur rumor terribilis per totam civitatem, quam innocentes profugi reliquerant. Uxor Loth perterrita, atque per eam levitatem, quæ ſexus illius communis eſt, oblita imperii, quod ab Angelo acceperat, ne retroſpiceret, audienſque ſtridorem, impetumque flammarum permixtum clamoribus eorum, qui viventes adhuc flammis erant devorandi, convertit caput, ut, quod poſt ſe fieret, cognoſceret. Sed hoc terroris ſpectaculum videre cupiens, ipſa facta eſt ſpectaculum terribile; repente enim immutata fuit in ſtatuam ſalis, quæ fuit tamquam æternum monumentum, ut ait Scriptura, quo edocerentur mortales, cui ſeſe objiciunt, cum ſibi perſuadere nequeunt, noxam, quæ levis videtur, gravibus pœnis ici punitum.

Cum Scriptura loquitur de bello, quo Iſmael, & & Iſaac adhuc pueri ſecum certabant, ait hunc ludum fuiſſe, ideoque ſatis innocens. Sara quoque ita eſſe exiſtimabat; attamen id pati noluit, impulitque virum ſuum Abraham, ut utrumque, matrem ſcilicet, & filium ejiceret domo: cui aſſenſus eſt Abraham prævidens futurum, ut aliquando illi ultro citroque crudelius ſibi bellum inferrent: id, quod tunc non aliud erat, quam ludus, non ſemper tale futurum, & modicum illud odium, quo Iſmael fratrem ſuum perſequebatur, temporis progreſſu graviora mala pariturum. Hoc illud eſt judicium, quod de peccatis venialibus ferendum eſt. Ludi ſunt, ſi ludus vocari poteſt ille, quo Dei ſanctitas læditur; cæterum ludi ſunt, qui habendi ſunt tamquam eorum malorum omnium præſagia, in quæ annorum decurſu labimur; tamquam Iſmaeles Iſaacum laceſſentes, & niſi de cordibus noſtris ejecerimus illos, ſeſe ad eum ſuffocandum diſponunt, ſub prætextu ludi parum noxii, & quem culpa vacare cenſemus.

Moyſes, & Aaron pro levi diffidentia puniuntur.

Murmurarunt in deſerto Iſraelitæ, quod Deus illos ſiti enecaret, ac neſcientes ubi haurire poſſent aquam, ad Moyſem, & Aaronem confugerunt; hi vero ad Deum, qui rupem illis oſtendit, præcepitque Moyſi, ut illam ſua virga percuteret, atque inde eliceret fontem, quo populi ſitim expleret. Moyſes indignatus, quod rebelles illi nimis ipſum ſollicitaverant, & multo magis, quod de ipſo diffiderant Deo poſt tot prodigia, quæ in gratiam ſuam facta conſpexerant, ipſe quoque diffidit Deum ex ea rupe fluvium elicere poſſe, eamque bis percuſſit, cum ſemel tantum eſſet percutienda. Permiſit Deus levem hunc lapſum ut magnus hic Dei ſervus hominem ſe eſſe intelligeret, ſed corripuit illum, immo cum Aarone fratre ejus criminis conſorte punit, prohibens ne promiſſam terram, pro qua tot labores ſubſtulerant, pedem inferrent. Quia uterque me offendiſtis, ait illis Deus, in deſerto Sin, cum populus univerſus contra me murmuravit, & quia in adeo præclara occaſione me non ſanctificaſtis, atque de bonitate mea diffidiſtis, in terram, quam filiis Jacob daturus ſum, non ingrediemini.

Bathſamicarũ cædes eo quod nimia curioſitate, & modica reverentia Arcam fœderis reſpexerunt.

Qui neſcit quanto ſteterit impeditio Bethſamitis levis curioſitas? Poſtquam caruerunt Arca fœderi ſeptem menſium intervallo, quo apud Philiſthiim permanſerat, illam tandem receperunt, & quod illam curioſius dumtaxat, & fortaſſe uberiori gaudio adſpexerunt, Deus de populo hoc ultra quinquaginta virorum millia percuſſit. Et alia vice cum hæc eadem Arca de loco in alium transferretur, dignius collocanda, atque periculum eſſet, ut in terram laberetur eo, quod jumenta, quibus plauſtrum vehebatur, calcitrarent, Oza inſignis vir, qui ducebat illud, eam nutare videns admota manu ſuſtinuit. Credendum eſt hoc ab eo factum non ea cum reverentia, quæ opus erat; eumque non ſatis religioſum fuiſſe in hac actione, quæ aliquam temeritatis ſpeciem præſeferebat; Deus enim ſtatim illum percuſſit toti populo exemplum futurum.

Quanti ſteterit Davidi modica vanitas.

David ſcire vult numerum ſubditorum ſuorum: putant alii, ob aliquem avaritiæ ſenſum, ut illis tributum irrogaret, alii vero ob aliquam prudentiæ, ſed nimis humanæ ſpeciem, ut videret, quot in arma vocare poſſet viros, ſi neceſſitas aliqua irrueret; alii vero probabilius ob aliquam jactantiam, inanemque gloriam, ut ſciret, in quot capita ſuum exerceret imperium, quot homines a ſuo nutu penderent; ſed omnes conſentiunt, ipſum eo in facto venialiter tantum peccaſſe. Deus tamen, quin flecteretur precibus ejus, & criminis ſui confeſſione, optionem illi fecit, ut famem, aut bellum, vel peſtem eligeret. Et quoniam princeps hic ſubmiſſus, & humiliatus Deo integrum reliquit, qua mallet, ipſum pœna mulctare, accendit in Iſraele univerſo Deus peſtem, quæ illum vaſtavit, atque trium dierum ſpatio ſeptuaginta animarum millia ſuſtulit.

Alia pœnarum exempla, quas popoſcit Deus ob peccata, quæ levia videbantur.

Si de gravitate, quæ in minoribus peccatis invenitur, judicium ferre poſſumus ex ſeveritate, qua ſcimus Deum in altera vita eadem puniturum, hoc etiam conjicere liquet ex eo rigore, quo illa in hac quoque vita punit. In decimoquinto libri Numerorum capite legimus, quoſdam Iſraelitas in deſerto cum hominem offendiſſent ſabbatho ligna colligentem, cum ſtatim vinctum ad Moyſem, & Aaronem adduciſſet, qui in arctum carcerem conjecerunt illum, donec Deum conſulerent, qua pœna eſſet afficiendus; Deumque Moyſi imperaſſe, ut homo ille de viventium numero exturbaretur, atque a militibus omnibus lapidibus peteretur. Statim e carcere eductus, lapidibuſque obrutus fuit ab omni multitudine ſancto animata zelo, ut ultionem ſumeret ejus criminis, quod nonniſi leve eſſe poterat. Maria ſoror Moyſis fratris ſui conſilium improbat, & murmurat: in cujus licentiæ pœnam lepra illi ſtatim toto corpore adhæſit. Propheta quidam a leone diſcerptus fuit, quod amico, a quo ad prandium invitatus fuerat, complacuit. Duo, & quadraginta pueri ab urſis dilaniati fuere, quod irreverenter Eliſeum exceperunt. Sed quis non mirabitur videns Regem Ezechiam ſuis privatum theſauris, quod aliquem habuit inanis gloriæ ſenſum eos Aſſyrii regis legatis oſtendens? Sexcenta alia nobis in ſacris Bibliis ſuppetunt exempla ſimilium punitionum ob ejuſdem generis noxas.

Novit Dæmon ſenſim corrumpere Judam ex ipſa Jeſu Chriſti ſocietate, eique immittere nefarium conſilium prodendi divinum Dominum ſuum, & magiſtrum. Quodnam diſcrimen inter virtutem Apoſtolo dignam, & hoc ſceleris portentum, quod exemplo caruerat, & cui nullum ſimile futurum eſt? Sed nihil dæmoni eſt impoſſibile, ubi ſuppetias illi fert noſtra mollities, ac Judam ab avaritia ad furtum, a furto ad ſacrilegium inducens, eum veluti per gradus ad deicidium uſque perduxit. Et nonne quotidie nos etiam in vias eaſdem impellit? Primum nil aliud eſt quam involuntaria cogitatio, quæ noſtram attentionem prævertit, ſed non multo poſt error eſt, qui nobis elabitur. Spiritualia peccata, quæ ipſi diſſimulamus, ſuccedunt ac poſt ſe trahunt exteriores prævaricationes, quarum improbitas, ac numerus ſemper augentur. Denique tentationes cum deſideriis conſentiunt, & opus iniquitatis perficiunt.

Minæ, quas Salvator S. Petro intentavit, oſtendunt quantopere diſpliceat Deo vel minima inobedientia.

Dei filius melius oſtendere non poterat, nihil ſibi antiquius eſſe obedientia, quæ ſibi in minimis etiam præceptis adhibenda eſt, quam per terribilia verba, quæ dixit Sancto Petro: niſi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum. Non dico, Sanctus Baſilius ait, modo cauſam, propter quam ex ipſo Jeſu Chriſti ore adeo terribiles minas audiit, non fuiſſe negligentiam, aut conteptum divini magiſtri ſui, & reſiſtentiam, qua illius obluctabatur imperiis, effectum fuiſſe ſuæ erga illum obſervantiæ: ſed peccatum erat, quamtumvis leve, detrectare illi obedientiam hac in re, & Salvator illi oſtendere voluit, cuinam noſmet objiciamus periculo per leves noxas, quas temere, & ſine animadverſione committimus.

Nemo neſcit, quanto Ananiæ, & uxori ejus mendacium ſteterit. Quin arcta neceſſitate bona ſua Eccleſiæ tradere tenerentur, eorum partem ad Sanctum Petrum ferunt, alteram vero ſibi reſervant; ſed hanc ſibi reſervantes utuntur diſſimulatione, atque perſuadere cupiunt Apoſtolo nihil eſſe reliquum ſibi. Hoc ſatis eſt; his auditis Apoſtolus Dei viventis nomine profert in illos mortis ſententiam, quæ nulla interjecta mora adimpletur. Addit Scriptura pœnam hanc adeo celerem, ſeveramque incuſſiſſe terrorem in omnium fidelium corda, & effeciſſe, ut minima etiam peccata metuerentur. Utinam tot alia ſupplicia nobis eumdem metum incutiant.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Quid dici poſſit illis, qui eo quod levia neglexere peccata, in graviora ſunt lapſi.

QUomodo cecidiſti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris? Iſaiæ 14. Non defuerunt in hominibus ſanctitate, ac virtute præſtantibus mutationes, quæ nos replent formidine, quotieſcumque ad illas animum advertimus; atque non ſine ſtupore legimus in religioſiſſimis etiam ordinibus non defuiſſe apoſtatas, & ſanctos, qui in dæmones converſi fuerunt. Mutationes hujuſmodi nonniſi a levibus initiis profectæ ſunt, quæ neglecta fuere, & levia crimina ſenſim illos in malorum omnium graviſſimum impulerunt. Libenter ex illis quærerem, quod in Scripturis ex Angelorum principe Spiritus Sanctus: *Quomodo cecidiſti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris?* Tu, qui tamquam unum ex altiſſimis cœli ſyderibus nites, quomodonam cecidiſti? Ubinam ſunt hæc virtutis principia, quæ adeo profunde tibi in anima erant impreſſa? Ubi religioſi illi ſenſus, qui omnem vitæ tuæ rationem regebant, atque animabant? Videbaris invulnerabilis, & ſexcentis vulneribus, iiſque mortiferis confoſſus es: *Quomodo cecidiſti?* Si bona fide homines illi vellent reſpondere, faterentur omnes, ſe ad hæc extrema a levibus proceſſiſſe criminibus, quæ primum quidem culpa vacare putabant, & quorum funeſtiſſimos exitus non præſentiebant.

Optima ratio peccati mortalis evitandi eſt ſibi a venialibus cavere.

Ecce nubecula parva quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari . . . . & facta eſt pluvia grandis. 3. Reg. c. 18. Veniale peccatum in hoc ſimile eſt nubeculæ Iſaiæ Prophetæ, quæ brevi temporis intervallo cœlum totum cooperuit, omneſque agros inundavit: quæ cauſa fuit, ut ſimulac illam aſſurgentem videret, regi diceret, ut inſtructo curru ſtatim abiret, ac imminentem fugere tempeſtatem. Hoc pacto contra peccatum nobiſmetipſis præcavere debemus; expectandum non eſt, donec ingens concreverit nubes, jamjam in imbrem ſolvenda. Expectandum non eſt, donec in mortale peccatum lapſi fuerimus, ut illud fugiamus. Nubes ſpectanda eſt, cum adhuc eſt exigua, fugiendumque veniale peccatum, tamquam ſævæ tempeſtatis præſagium. Pepigi fœdus cum oculis meis, Job inquit, ne aditum præbeant in animam meam mortalis pulchritudinis imagini, quæ illam ad peccatum excitare poſſet; innuens oculorum conjectum, qui venialis dumtaxat eſt, eſſe veluti ignis ſcintillam, qua homo tutus poteſt conflagrare.

Conſuevit Dæmon ad mortale peccatum nobis viã ſternere per veniale.

Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius eſt. Joann. 2. Per venialia peccata, quæ non metuimus, quia ea nequaquam periculoſa cenſemus, dæmon nos in graviora impellit flagitia. Eodem fere modo operatur, quo homines, de quibus loquitur Evangelium, qui in conviviis ſuis initio optimum apponere vinum conſueverunt, ne convivæ ſemel inebriati dignoſcant deterius, quod deinceps affertur. Dæmon igitur ſtatim quibuſdam venialibus nos inebriat peccatis, quibuſdam voluptatibus, affectionibus, quæ nobis contemnendæ videntur, & in quas eo facilius impingimus, quo a gravi crimine eas remotiores exiſtimamus. Hoc bonum vinum appellari poteſt; ſed cavete, ne illud vobis propinet, ne aliquando inebriati non agnoſcatis graviora peccata, voluptates, & illicitas affectiones, quas nobis in fidem reſervat.

Peccatum veniale ſenſim nos adducit ad mortale.

Infirmitas hæc non eſt ad mortem. Joann. 11. De eo, qui leve aliquod, & veniale crimen committit, id dici poteſt, quod de Lazaro Evangelium; morbum ejus primum non aliud fuiſſe, quam languorem, languorem autem hunc lethargico ſomno exceptum fuiſſe, & hunc tandem in mortem deſiiſſe. Primum quidem levis eſt infirmitas, quæ negligitur, & quæ nullum funeſtum exitum habitura cenſetur; interim morbus augetur, imminuuntur vires, atteritur valetudo, & eo quod malum initio neglectum fuit, ſenſim adducit ad tumulum. Numquid ignis ſcintillam in ea lapſam nutrimenta, quæ facile comburuntur, negligeres? Prava cogitatio hanc in corde tuo invenit diſpoſitionem; cur illam contemnis?

Si quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam uniuſcujuſque opus manifeſtum erit. 1. ad Corinth. c. 3. Apoſtolus hoc in loco duo fidelium indigitat genera, qui ſuper eodem ædificant fundamento, ſed longe diverſa utuntur materia; primi quidem ex auro tantum, argento, lapilliſque pretioſis extruentes nil habent, quod timeant, quoniam eorum nulla re quatietur ædificium: alii vero qui ligna, fœnum, ſtipulamque adhibuerunt, quæ materia eſt non ſatis ſolida, ut igni reſiſtat, aliquod patientur detrimentum,

tum, quod non prohibet tamen, quominus, licet per ignem traducta, ſalvetur. Hoc naturaliter ſignificat, etiamſi aliqua ſubeunda ſit pœna, damnationem tamen evitatum iri. Itaque imperfecta hominum opera, alicui obnoxia defectui, vel prava per ligna, fœnum, ſtipulamque repræſentata, quæ quidem materia combuſtibilis eſt, proprie ſunt venialia peccata, quæ aliquam pœnam quidem merentur, ſed minime damnant.

Veniale peccatum dividit cor noſtrum inter Deum, & creaturam, quamvis non tollat charitatem.

Diviſum eſt cor eorum, nunc interibunt. Oſee 10. Poſt contractum alicujus venialis peccati habitum inficiari nemo poteſt, cor hoc eſſe diviſum. Dicimus quidem a nobis amari Deum, & nolle nos quocumque pretio eum lædere mortali crimine: ſed nobiſmet reſervamus jus hanc, vel illam voluptatem carpendi, quamvis in ea peccatum non deſit, ſed leve tantum, ac venia dignum. Hoc ſane eſt infinitam, ſupremamque numinis majeſtatem contemnere, ac per ſummam indignitatem negligere; quandoquidem toties per Prophetas ſuos teſtatus eſt Deus, ſe cor dimidiatum reſpuere, totumque depoſcere, & ſibi contumeliam afferri ab eo, qui affectionum ſuarum partem mundo, creatiſque rebus reſervat. Ipſi vero quid aliud facimus per habitum, & affectum, quo levia peccata fovemus, quæ nullius eſſe momenti volumus, quia per illa gratiæ jacturam non facimus? Corde ſaltem, ſin minus ore, dicimus Deo; ſufficiat, quod propter ipſum facio; nil ultra conari poſſum. Nonne metuendum eſt, ne in ſecreto judicio ſuo de nobis dicat Deus: Homines iſti partem duntaxat amoris ſui mihi volunt impendere, alteram pro mundo reſervantes. Huic, per me licet; totum ſuum amorem tradant, cor dimidiatum mihi non placet.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Iſta levia noli contemnere; ſi contemnis quando appendis, expaveſce quando numeras. Auguſt. tract. 1. in Epiſt. Joan.

Nullum peccatum adeo parvum, quod non creſcat neglectum; non enim conſiderandum eſt quid feceris, ſed quem offenderis, quam bonus eſt, quam benignus, quam pius. Aug. de pœnit.

Nolite contemnere venialia, quia minima ſunt; ſed timete, quia plura ſunt. Idem, lib. de decem chordis.

Iniquitas omnis, prava magnave ſit; puniatur neceſſe eſt, aut ab homine pœnitente, aut a Deo vindicante. Id. conc. 1. in Pſ. 58.

Tu ne leve dixeris unde offenditur Chriſtus, unde ad Dei judicium pertrahi habes; numquid grave damnum eſt, etiamſi non pereas, vacua nave ad portum venire? Idem, ſerm. 29. ſuper Cant.

Si curare parva negligimus, inſenſibiliter ſeducti, audenter etiam magna perpetramus. Greg. l. 10. Moral. c. 14.

Qui minima peccata flere ac devitare negligit, a ſtatu juſtitiæ non quidem repente, ſed partibus, totus cadit. Idem, 3. p. Paſt. admonit. 34.

Dum per levia delicta deflectimus, uſu cuncta levigante, non timemus poſtea graviora committere. Idem, l. 10. Moral. c. 14.

Scelus nonniſi magnum peccatum dicitur, peccatum etiam quod leve eſt nominatur. Idem, l. 6. in Reg.

Vinco maxima vincendus a parvis; ardua indefeſſus exupero, & ad plana ignavus deficio. Hieronym. Epiſt. ad Demetr.

Mens Chriſto dedita æque & in majoribus, & in minoribus intenta eſt, ſciens etiam pro verbo reddendam eſſe rationem. Hieronym. Epiſt. ad Heliod.

Sancta Paula Romana levia peccata ita planxit, ut illam graviſſimorum criminum crederes ream. Idem, Ep. 27. ad Euſtochium.

Neſcio an poſſimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur; eſtque ille prudentiſſimus, qui non tam conſiderat quod juſſum eſt, quam quis juſſerit, neque quantitatem imperii, ſed imperantis cogitat dignitatem. Sanctus Paulin. Epiſt. 14.

Non facile provenit cuiquam tam incruenta victoria, ut inter multos hoſtes, frequenteſque conflictus, etiamſi ſit liber a morte, ſit quoque immunis a vulnere. S. Leo, ſermone 4. de jejunio decimi menſis.

Fugiamus modica mala, magna ſiquidem ab illis naſcuntur. Chryſoſtomus in cap. 7. ad Romanos.

Cavete ne quis parva reputet, quamlibet parva, ſi ſcienter delinquere convincatur. Bernard. ſerm. 1. in Converſ. S. Pauli.

A minimis incipiunt, & in maxima proruunt. Idem, de ordine vitæ & mor.

Qui ut filius, & non ut ſervus obedit Deo, etiam in minimis timet offendere. Baſil. in proœm. Regul. fuſe diſput.

Nullum ſit omnino erratum, quod parvi pendas. Idem, de abdicat. rerum.

Timenda ruina multitudinis, etſi non gravitatis. Guill. Pariſ. lib. de virt. cap. 23.

Quemadmodum ad virtutis tendentes culmen non a ſummis inchoant, ſed a modicis, ut ſic ſenſim ad altiora pertingant; ita qui dilabuntur ad vitia, non ſtatim a magnis criminibus incipiunt, ſed a modicis aſſueſcunt, & ad maxima proruunt. Iſidorus, de ſummo bono.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento depromi poſſit.

Quid ſit veniale peccatum.

UT hoc in argumento ſimpliciter, & ſine ullo metaphoræ integumento loquar, peccatum mortale illud eſt, per quod de juſtitiæ ſtatu decidimus; ideoque peccatum, quod nos de hoc gradu non dejicit, nobiſque gratiæ vitam non aufert, veniale dumtaxat eſſe poteſt: quoniam remittendum eſt vel in hac vita, vel ſaltem in altera, cum mortale peccatum ſuapte natura damnationem mereatur. Docet S. Thomas 1. 2. qu. 88. art. 1. mortale peccatum veniali eſſe oppoſitum, eo quod mortale interiorem conſtituit defectum, qui certiſſime delet vitæ ſpiritualis principium, vel principium ordinis, quo ad extremum finem referimur; atque ita peccator non poteſt amplius ex ſemet conſurgere, quia voluntas ejus in hoc ſtatu omnino depravata eſt; & ſi conſurgit, id exterioris alicujus principii ope accidit, hoc eſt gratia Dei, non autem per interius aliquod principium. Veniale peccatum e contra nonniſi in iis rebus, quæ ad extremum finem ordinatæ ſunt, gignit perturbationem. Theologorum eſt, non autem concionatorum varias ad examen revocare ſententias, in quas hac de re abeunt Scholaſtici: ſatis eſt ſcire, peccatum licet veniale eſſe Dei offenſam, unde ſequitur primo hoc eſſe contemptum ſupremæ illius majeſtatis, ingratitudinem erga infinitam ejuſdem bonitatem, abuſum indignum omnipotentiæ ipſius, reſiſtentiam ſanctæ voluntati ejus, gloriæ ejuſdem diminutionem. Secundo verum eſt, hanc non eſſe ab extremo fine aberrationem, ſed viam, quæ ad errorem adducit; hanc non eſſe cum Deo inimicitiam, ſed amoris teporem, qui ſæpe ad inimicitiam adducit; non eſſe gratiæ jacturam, ſed magnum ejuſdem ſubeundæ periculum; non eſſe eſſentialem animæ infidelitatem erga Deum, qui ſponſæ nomine illam appellat, ſed frigus, & negligentiam, quæ illum offendit, eique infert injuriam; utque omnia verbo complectar, peccatum veniale eſt actio, quæ diſplicet Deo. Tertio huic ſequitur, hoc gravius eſſe malum, quam omnia ſimul collecta creaturarum mala: hinc Sancti millies vitam ſuam mallent amittere, quam de induſtria unicum veniale peccatum committere; hinc ſalva conſcientia ne minimum quidem proferri mendacium poteſt, ex quo ad Deum cumulatiſſima redundaret gloria; & creata omnia ſecum præclare actum cogitare deberent, ſi pro leviſſima veniali noxa prohibenda vitam ipſam ſuam poſſent impendere.

Tria ſunt habitualium peccatorum genera.

Tria conſiderari poſſunt peccatorum venialium habitualium genera. Prima peccata ſunt affectionis, quorum non propenſio tantum, verum etiam ſervatur affectus non ſine animo in illis, ubi ſemel patrata fuerint, perſeverandi. Secunda ſunt peccata imbecillitatis, quæ committimus acti potius corruptæ naturæ, vel pravi habitus vi, quam plena, integraque voluntate. Tertia vocari poſſunt peccata neceſſitatis, non quod ſine libertate patrentur, ſed hoc tantum innuere volunt Theologi, quantumvis nullum ſit crimen, quod ſingillatim divina ope ſuffulti evitare non poſſimus, tanta nihilominus eſt humana fragilitas, ut moraliter fieri nequeat, omnia ſimul a nobis evitari, niſi in gratia confirmati fuerimus, quod Deiparæ contingit.

Variæ eum affectiones qui venialia peccata committunt.

Affectiones eorum, qui venialia peccata committunt, tam variæ ſunt, quam ipſa peccata. Qui ex affectu venialiter peccant, omnino ſalvari volunt, & hanc prætexentes cauſam, quod videlicet venialia peccata per ſe neminem damnant, ſexcentis humanis oblectamentis carere nolunt, quibus indulgere nequeunt, quin Deum leviter lædant; qui renuunt eam ſibi vim facere, quæ ad illa evitanda opus eſſet, & adniti, ut omnes eorum fugiant occaſiones; ſed illa de induſtria conſulto, ac citra quemlibet conſcientiæ ſtimulum patrant. In levibus hiſce criminibus callum ducunt, erroneam ſibi conſcientiam concinnant, ne his perturbentur; ſibimet perſuadentes aliter vitam duci non poſſe, & ſe nullum, vel leviſſimum ſubire periculum hoc pacto viventes. Quod ſpectat ad eos, qui venialia per infirmitatem peccata committunt, licet magno in numero, hi tamen verum fovent deſiderium progrediendi in virtutem, majoremque in dies perfectionem acquirendi: ſed ſunt adeo imperfecti, tantam habent erga ſenſibilia bona proclivitatem, affectus habent adeo vividos, adeo validos hujuſmodi levium criminum habitus contraxerunt, ut ſæpe labantur; quamobrem eorum peccata infirmitatis peccata poſſunt appellari. Tertii ſunt animæ ſanctæ, quæ ſemper magna in innocentia vixere, quæ tamen ex inopinato aliqua venialia peccata committunt. De triplici hoc perſonarum genere aliter judicium ferendum eſt, ac diverſa illis ſunt documenta tradenda.

Effectus peccati venialis.

Veniale peccatum teporem, ut ita dicam, in Dei cor immittit: hoc eſt, efficit, ut non habeat Deus pro anima, quæ illi placere negligit, peculiarem eam providentiam, quam erga fideles animas habet, neque peculiarem curam, qua eas a periculis arcet, & tentationes vel prohibet, vel imminuit. Secundo non communicat Deus ſecreta ſua tepidis, frigidiſque animabus, neque peculiares illis concedit gratias, cujuſmodi ſunt ſpiritus orationis, atque unionis cum ipſo, abundantia conſolationum, quam ſequitur mirabilis rerum divinarum guſtus, ac magna facilitas pro omnibus interioris vitæ exercitiis: demum certa quædam moralis certitudo ipſis Dei gratiam adeſſe. Tertio eas privat vivis luminibus, validiſque gratiis, ſine quibus tentationibus paulo vehementioribus numquam reſiſtent: cum enim hæ gratiæ ſint bonitatis, & non communis liberalitatis effecta, eas numquam elargietur illis, qui ſecum, ut ita dicam, altercantur, ac ſe in iis continent, quæ ni fecerint, in mortale facinus incidant. Quarto conſiderandæ ſunt pœnæ, quas ab illis in hac vita, ſed præſertim in purgatorio depoſcit; quæ infernis ſuppliciis nihilo mitiores ſunt; etenim has animas, quas diligit, & a quibus unice diligitur, projicit a conſpectu ſuo, donec vel unius venialis peccati labæ fœdatæ fuerint, quæ ſi illis in omnem adhæreret æternitatem, eas in æternum projiceret.

Quantum dedecus afferat Deo veniale peccatum.

Deum unico veniali peccato majori afficimus contumelia, quam ſanctiſſimæ quælibet, heroicæque actiones eidem afferant honorem. Dei magnitudo, infinita, quæ inter ipſum, ac nos interjacet, diſtantia plurimum deterit magnitudinis boni illius, quod propter ipſum operamur; & infinite auget magnitudinem mali, quod contra ipſum audemus. Cum illi ſervimus, id facimus, quod debemus, ac ſemper multo minus, quam debemus, ac infinite minus eo, quod ille meretur: & quamvis omnia feciſſemus, adhuc fateri teneremur, nos inutiles eſſe ſervos: ſed cum illum offendimus, infinitas negligimus obligationes, propter quas illi ſervire, eique placere tenemur; ideoque ingratitudo noſtra fit quodammodo infinita, eique magis unica veniali noxa diſplicemus, quam illi præclaris quibuslibet in ipſum meritis placere valeamus.

Venialis peccati gravitas.

Quamvis peccatum veniale ſit, ſemper tamen eſt peccatum, & injuria illata divinæ majeſtati, cui tantum debemus amorem, ac reverentiam, ut licet de omnium hominum ſalute ageretur, non liceret tamen vel minimum crimen committere. Neque dixeris, Dei magnitudinem nequaquam pati, ab eo minimarum etiam rerum haberi rationem; etenim multo minus patitur, eas a nobis contemni, cum ab illo imperantur. Crederesne, nequaquam licere vel unicam id genus negligentiam committere, ut mundus integer converteretur; atque tantum hoc bonum nequaquam par futurum huic malo, quod vocas exiguum? Diſce ex Sancto Bernardo, ad labem hanc abſtergendam divino opus fuiſſe cruore, eaque non abſterſa nemini licere in regnum cœlorum introire. Verum eſt, nos per hoc peccatum nequaquam ſanctificante gratia privari, uti neque charitate, cujus fervorem duntaxat, & perfectionem imminuit, ſed contriſtat Spiritum Sanctum, ut Apoſtolus inquit, tenebris conſcientiam replet, prohibet, ne anima in virtutis viam progrediatur, ac ſenſim eum, qui illi aſſueverit, in mortale peccatum impellit. Adde his, nihil pollutum in cœleſtem Jeruſalem eſſe; unde neceſſario inferendum eſt, niſi venialia peccata hoc in mundo fuerint deleta, animæ, quæ illis fœdata fuerit, in Purgatorio debitam ipſis pœnam eſſe perferendam.

Venialia committentes facilius ad graviora gradum facimus.

Quamcumque corruptionem cordi, mentique noſtræ originale peccatum injecerit, ibi tamen rationis, & rectitudinis reliquias, & ſemina reliquit, quæ efficiunt, ut gravia ſemper in aliis delicta damnemus, nobiſque horrorem ciendo abſterrent, ne ea committamus. Sed familiaritatem cum veniali peccato ineuntes, quod aliquam ſemper cum lethali rationem habet, ſenſim, & ſine ſenſu huic etiam conſueſcimus. Primum quidem non adeo illud perhorreſcimus; mox vero illius etiam timorem paulatim abjicimus; illud in aliis minus nobis incipit diſplicere; deinde omnem exuit horrorem, immo aliquam admittere videtur jucunditatem; tandem eo redigimur, ut ſine difficultate, immo cum voluptate illud committamus. Hi ſunt gradus, per quos vulgo in peccatum mortale homines decidunt.

Veniale peccatum aliquando eſt cauſa noſtræ reprobationis.

Non afferro hoc in loco propoſitionem quorumdam Doctorum, qui Dei juſtitiam cum illius miſericordia comparantes credunt, quemadmodum Deus ſuæ bonitatis effectu ſæpe noſtram prædeſtinationem adnectit actioni alicui parvi momenti, veluti ſcypho aquæ frigidæ in eleemoſynam traditæ, poſſe etiam effectu juſtitiæ ſuæ reprobationem noſtram veniali peccato adnectere; non quod propter veniale peccatum nos damnet, ſed quia, ut puniat improbitatem hujus peccati, quod ſuam ſanctitatem, & bonitatem offendit, permittat, ut in mortalia decidamus peccata, quæ ibi patraverimus, nos damnat. Hic doctrinam iſtam non explico, ſatis eſt dicere, quamvis Deus numquam reprobationem noſtram veniali adnecteret noxæ, illum, qui hujus eſt reus, ſaltem plures amittere gratias, quæ ſibi ad ſalutem eſſent perutiles; nos vero harum gratiarum jacturam facientes in peccatum mortale decidere, quæ animæ noſtræ mortem parit, & interitum.

Dæmon de veniali peccato in mortale nos adducit.

Hac utitur ratione dæmon, ut in gravia ſcelera impellat. Cum illi perſuaſum ſit, nos nequaquam iis aſſenſuros, nec repente omnem vivendi licentiam arrepturos, efficit, ut veniali peccato ſenſim aſſueſcamus, ut inde gradatim in mortale pertrahat. Oſtendit ea, quæ ex nobis petit, reipſa modicum eſſe, quod modicum ubi ſemel illi conceſſum fuerit, ſuadet, quandoquidem id fecimus, quod nihil eſt, tantumdem etiam efficere poſſe, & malum nequaquam gravius futurum. Quibus addendum eſt, Dei juſtitiam, uti dictum eſt, non ſuppeditantem amplius vivida lumina, validaſque gratias, ſæpe priora peccata ſequentibus punire, & minora majoribus; & eos, qui religioni ſibi minime vertunt leves noxas, deinceps adeo laxam ſibi concinnare conſcientiam, ut haud ægre graviora crimina perferat. Hoc omnes Theologi innuere voluerunt, cum dixere, peccata venialia diſpoſitiones eſſe ad peccatum mortale; etenim juxta illud Sapientis effatum, qui ſpernit modica, paulatim decidet, itaut ſi malum, quod veniale nobis affert crimen, nequaquam nos ab eodem abſterret, metuendum ſaltem ſit periculum, quod imminet nobis: ſi enim periculum amaverimus, hoc eſt, niſi illud ſumma cura evitare conati fuerimus, in eo certiſſime peribimus.

Sciendum eſt, quædam eſſe peccata, quæ audacter dicere poſſumus nobis mortem inferre; alia etiam ita levia, ut affirmare poſſimus, hæc per ſe nonniſi venialia eſſe: ſed inter hæc duo extrema maximum eſſe peccatorum numerum, quæ ad minimum mortale peccatum accedunt, niſi ad illud uſque perveniant; qua de re aliquando plurimum ambigendum eſt; & quæ re ipſa mortalia peccata videntur, ubi plena, integraque voluntate in illa ferimur, cum dedita opera fiunt, cum amantur, eorumque patrandorum occaſio perquiritur. Perfecti, qui nonniſi per amorem operantur, indiſcriminatim evitare conantur, quidquid diſplicet Deo; ſed quamplurimi infirmi ſunt, quos æternarum pœnarum metu opus eſt deterrere, & qui venialia peccata nullo ferme habent in diſcrimine. Prodeſt iſtis plura eſſe peccata, de quibus merito dubitari poſſit, utrum mortalia ſint, ut ea reformident, ne cadant; licentia quippe, quam eorumdem patrandorum ſibi vindicarent, eos in periculum adduceret quamprimum in mortale peccatum labendi.

Omnia venialia peccata ſimul collecta unum mortale non poſſunt efficere.

Quamvis veniale peccatum vera ſit Dei offenſa, attamen alterius eſt ſpeciei, & gradus ab offenſa, quæ mortale peccatum eſt; quamobrem dicunt Theologi, decies centena venialium peccatorum millia alia aliis ſuperaddita ad unius mortalis peccati gravitatem pervenire non poſſe, donec in venialium peccatorum claſſe, & gradu conſtiterint, eorumque objectum minime coaleſcit, ut mortale peccatum componat: quod accidit in iis, quæ ad juſtitiam pertinent, ubi centum exigua aſſis unius furta inſigne proximo afferunt damnum; quamobrem ſimul coaleſcunt, ut mortale peccatum conſtituant, quod in actionibus aliis non accidit, quæ ad juſtitiam non referuntur. Qui contra communem Doctorum ſenſum aliter tenent,

nent, Sancti Auguſtini auctoritatem afferunt, qui paſſim inquit, venialia crimina aquæ guttis eſſe ſimilia, quæ collectæ fluvios conſtituunt, vel minutis arenæ granis, quæ, cum magna ſunt in copia, obruunt illum, quem tegunt. Verum cum omnes iſtæ ſimilitudines aliqua in re deficiant, Sanctus ille Doctor non aliud ſignificat, niſi quod veniale peccatum nos ad mortale diſponit, atque tandem ad illud adducit.

Quid ſentiendum de illis, qui a mortalibus noxis nolunt abſtinere.

Quamquam extra omnem dubitationis aleam ſit, venialia peccata, quocumque in numero ſint, unicum mortale peccatum conflare non poſſe; liquet tamen, idque omnes Doctores fatentur, eum, qui a nullo abſtinere vellet, ac obfirmato animo quacumque in re venialia crimina committeret, prout ſeſe illi offeret occaſio, jam mortale crimen committere, quoniam ſeſe objiceret periculo mortalia patrandi peccata, ac mereretur, ut a Deo gravibus in occaſionibus defereretur, ubi validis egeret gratiis, ne iiſdem ſuccumberet. Hoc ipſum de illis ferendum eſt judicium, qui abſtinent a mortali, eo quod æternis in inferno pœnis punitur; & qui illud committerent, ſi temporalibus tantum pœnis Deus illud perſequeretur; atque hanc ob cauſam in omnia venialium peccatorum genera ruunt. Hoc enim ſignificat ipſos flocci facere Dei offenſam, & injuſtitiam, dummodo inferni pœnas effugiant: atque ita non levis adeſt metuendi cauſa, ne qui præſto ſunt, ut conſulto, dataque opera peccent, dummodo peccatum veniale tantummodo ſit, reipſa in horribili mortalis peccati ſtatu verſentur, ſine amore Dei, atque juſtitiæ.

Quod ex natura ſua mortale eſt, per accidens veniale eſſe poteſt.

Sciendum eſt tria abſolute requiri, ut quacumque in materia mortale peccatum committatur, quorum ſi vel unum defuerit, peccatum, quod proculdubio eſſet mortale, ſi tria illa ſimul adeſſent, veniale fieri dumtaxat. Primum eſt ex parte intellectus, plena mentis attentio, & rationis applicatio: actio enim, quæ ex primo committitur motu, quin intellectus cogitare potuerit hujus actus nequitiam, vel per ignorantiam minime adfectatam, vel in tumultu, qui integram non relinquit libertatem, peccatum nonniſi veniale dici poteſt. Alterum ex parte voluntatis, plenus, perfectuſque, tacitus ſaltem, conſenſus requiritur; ſi enim non aliud fuerit quam negligentia in prava cogitatione propulſanda, ſi peccans ſemiſopitus fuerit, ſi ſtatim ac agnoſcit rem malam, vetitamque eſſe, ab eadem deſtiterit, conſenſus perfectus non fuit, & crimen nequit eſſe mortale. Tertium denique ex parte materiæ, veluti in furto, detractione &c. Quod enim in re gravi grave peccatum eſſet, in levi nonniſi levis eſt noxa.

Aliquando etiam ex veniali in mortale peccatum labimur, & lapſus hic ut plurimum accidit vel propter male affectam voluntatem, cum hanc nobis licentiam arrogamus adeo prava cordis affectione, ut illam ipſam nobiſmet arrogaremus, etiamſi peccatum eſſet mortale; vel propter inhoneſtum finem, cum in verbis nobiſmet ſeductionis ſpiritum proponimus, vel per male affectam conſcientiam, cum aliquid facimus hoc mortale crimen rati, licet venialis noxæ terminos non excedat. Tandem vero cum agimus actu dubitantes, utrum quod agimus veniale ſit, an mortale; vel utrum liceat, necne; quin dubitationi noſtræ lucem quæramus.

Venialiter duplici modo peccare poſſumus.

S. Thomas animadvertit venialiter duobus modis peccari poſſe, vel inconſulto, vel ex affectu. Inconſulto quidem, cum primo motu aliquis nimis liberum facimus, vel nimis vanum cogitamus: ex affectu vero, cum, quin amittamus reverentiam, & amorem, qui Creatori debetur, aliqua affectionis ſpecies erga creaturas fovetur.

Venialium peccatorum confeſſiones ſine correctione.

Plurimi ſunt, qui venialibus dumtaxat criminibus graves paſſim ex mera conſuetudine ad pœnitentiæ tribunal accedunt, oſcitanter, ac ob humanos tantum reſpectus. Hi vulgo noxas ſuas narrant ſine dolore, ſine ſeſe corrigendi conſilio; ideoque a ſacramento recedunt, quales acceſſerunt: quæ confeſſionum genera ſi minus ſunt abuſus ſacramenti, ideoque grave ſcelus, ſaltem informia dicenda ſunt, uti loquuntur Theologi, hoc eſt, talia; ut ibi nec peccatorum venia, nec ſacramenti gratia recipiatur. Qua in re ſentiunt Doctores, præſtare nullum veniale peccatum confiteri, quam confiteri omnia ſine propoſito ne de uno quidem ſeſe corrigendi. Verum eſt, nos omnino non teneri, ut illa in confeſſionem aperiamus; ſed ubi illa clavibus ſubjicimus, adlaborandum eſt, ut ab illis abſtineamus, verumque eorum dolorem concipiamus; quod devotæ perſonæ frequentius ad Sacramenta accedentes ſerio debent attendere.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Veniale peccatum non eſt malum adeo exiguū quale exiſtimatur.

In peccato, Dei habita ratione, nihil parvum eſt, quidquid eum lædit, eſt enorme. Sed peccata, quæ levia dicimus, inde levia cenſentur vel propter pœnarum illius adhærentium levitatem, vel propter ſpem integram immunitatis. Aſſueti de rebus judicio ferendo ex re noſtra hac in re decepti non ſumus. Peccatum metimur non ex naturali ipſius nequitia, & gravitate, ſed ex malis, quæ nobis adfert: non reſpicimus ſanctitatem Dei, cui infert injuriam, noſmetipſos duntaxat reſpicimus, quos affligit, & opprimit. Peccatum nobis plus, minuſve enorme videtur, quatenus plus, minuſve funeſtum nobis eſt. Ipſum nomen, quod gravibus tribuitur criminibus, ſola videtur cupiditas impoſuiſſe; eaque mortalia appellantur, eo ſolum quod nos damnant, ac inferunt mortem. Sed ſi peccatum reſpicere ad breve temporis intervallum poſſemus oculis minus cupidis, in leviſſimo quoque eas labes, maculaſque deprehenderemus, quæ nobis divinam conflare poſſent indignationem, ac Dei maledicta in caput noſtrum pertrahere, niſi juſtitia ipſius aliquid de ſuo jure remitteret, nullamque infirmitatis noſtræ rationem haberet. *Ex collectione orationum Accademie Gallicæ oblatarum anno 1701. ferm. 1.*

Habitus venialium peccatorum nos ad gravia committenda diſponit.

Cum in levium peccatorum habitu perſiſtimus, non ſolum noſmet in gravioribus lapſibus objicimus, dici etiam poteſt, in hac diſpoſitione a nobis fieri, quidquid opus eſt, ut labamur. Tantum abeſt, quod cupiditas imminuatur, ut immo novum illi pondus accedat, novæque illi vires addantur. Inimico inerme dumtaxat opponimus cor, ac facile ſuperandum, & quin malum avertamus, eidem occurrimus. Levia peccata fovent ut tot veluti ſcintillæ, quæ ignem accendunt, quo abſumendi ſumus. Manibus propriis iniquitatis ædificium extruimus; infirmum cor agitamus eique obſtetricamur, ut ſcelus pariat. Excitamus ventos, & ut ita dicam, accerſimus tempeſtates: mirumne eſt, ſi naufragium faciamus? *Idem.*

Dæmonis arte decepti, paſſim accidit, ut illa vel comparemus cum ſceleribus illis, quorum enormis turpitudo ea delere videtur, vel confundamus cum quotidianis lapſibus, qui ſolertiſſimam quamlibet vigilantiam fallunt, & quæ vel dominica oratione, vel eleemoſynis expiantur. At non ita Deus juſtitiæ, & veritatis de illis judicat. Homo inobedientias ſuas ex earum dumtaxat externa ſuperficie ſpectat; Deus vero omnem earum nequitiam medullitus uſque conſiderat, illarum cauſas, & effecta perpendit, illæ ſeſe oculis ejus exhibent ſecundum omnem naturalem deformitatem ſuam, & videt, eas ex gratiarum ſuarum contemptu, nec non voluptatum negligentia proficiſci. *Idem, ferm. 2.*

Facile a levibus ad gravia peccata fit tranſitus.

Peccator nonniſi levibus noxis ſtatim aberrat, quemadmodum in ſingulos dies nonniſi leves ſarcinulas ſuæ imponit conſcientiæ, ita illam paullatim toti iniquitatis ponderi aſſuefacit; & cum inſignes peccatores in ſceleribus ſuis utile ſupplicium inveniunt, quod eos inde emergere cogit, hic e contra in lapſibus ſuis funeſtam nanciſcitur requiem, quæ illum, ut ibi permaneat, invitat. Felix, ſi poſſet in eo nequitiæ gradu conſiſtere, in quem lapſus eſt, ſed heu! cupiditas, quæ ſemel prætergreſſa eſt terminos innocentiæ, in primo hoc gradu nequaquam ſubſiſtet. Corruptio, quæ in animam obrepere cœpit, niſi celeriter curſus illius interrumpatur, ulterius ſemper procedet, & homo fiet ſemper nocentior, ex quo operam minime navabit, ut ſanctior evadat. *Idem ferm. 3.*

Dæmon non repente nos ad gravia impellit peccata, ſed a levioribus ducit initium.

Tentator fideli nequaquam primo ſtatim occurſu cædes, ac apoſtaſiam proponit. Virtus nimium diſtat a crimine, neque ſine medio ab altero ad alterum fit tranſitus. Lapſus etiam, qui ſubitus videtur, ſuas habet præparationes. Sufficit illi ea ſcrutari ſtudia, quæ in nobis culpa reliquit, eiſque tanta velificatur arte, ut ex levi motu contra rationem inſurgente horribiles oriri faciat exceſſus. Poterat Cain facile improbam ſuffocare invidiam, qua cor ipſius perturbari incipiebat, contempſit illam; ſpirituſque nequam, qui nihil elabi patitur, unde aliquam percipere valeat utilitatem, hoc mortis ſemen colligit, & excolit. Sub execrabili ejus dextera ſemen paulatim creſcit, invidia naturam mutat, atque migrat in odium, & furorem. Tunc Cainum in parricidium impulit, cumque ſatis crudelitatis eidem afflaſſet, ut committeret illud, ſatis etiam tribuit impudentiæ, ut ipſum negaret. *Id. ferm. 2.*

De ſtatu habituali in aliquibus peccatis venialibus.

Quid periculoſius eſt, quam ſtatus, qui ſenſim nos malo propiores facit, qui criminum horrorem aufert, qui voluntatem ad ea committenda efficit audacem, & qui diſponit cor, ut illis adhæreat? Status, in quo noſmet peccato mancipantes ſine conſcientiæ ſtimulis, illud ſine pœnitentia confitemur, & in quo peccator ſperans fore, ut ubi voluerit, convertatur, quin id velit, dies, annoſque traducit. Talis eſt diſpoſitio hominum imperfectorum, vel ut melius dicam, cordium ſemicorruptorum, quæ indeſinenter legem inter, & diſpenſationem hærent, quæ inter magna, & parva præcepta ſeipſa partiuntur, quæ quamdam conventionis ſpeciem cum Domino ſtatuere velle videntur, & hanc prætexentes excuſationem, quod in rebus maximi momenti illius imperiis obtemperant, jus ſibi vindicant eidem diſplicendi in iis, quæ minoris momenti videntur. Status hic ſæpe magis deploratus eſt, quam nequiſſimi cujuslibet peccatoris, in quo mortales tandem ſe longius a ſalute ſentiunt abeſſe, quam ſi ſtatim flagitioſiſſimam vivendi rationem fuiſſent ingreſſi. Si enim in gravioribus ſceleribus certum adeſt periculum, certa eſt etiam inde reſurgendi via. Sola turpitudo illis inhærens ſæpe ſatis eſt, ut illa evitemus; & ſi cupiditatis vis nos illuc trahit, ſtimuli conſcientiæ ſufficiunt, ut nos deterreant, & quemadmodum in criminibus vitam tranquillam ducere nequaquam poſſumus, tamen per intervalla quoſdam conatus exerimus, ne in illis moriamur; ſed peccator, qui primum levia tantum peccata committit, hac caret utilitate. *Idem.*

Levibus peccatis dividimus cū creaturis amorē, qui Deo tantū debetur.

Quid ſunt leves iſtæ infidelitates, quas ſingulis diebus committitis, niſi tot injuſtæ diviſiones cordis, quod creatis rebus impendit partem amoris quem totum debet Creatori? Quomodonam ſimul conciliare contendis zelum amoris Dei cum eo, quem gloriæ ipſius contemptu præ te fers? ea virtute animari, quæ infinitæ huic bonitati placere ſtudes, & in tranquilla permanere negligentia, ita ut eamdem lædere non verearis? Si ignis divini amoris in te accenſus eſt, cur non abſumit, quidquid impurum eſt in anima tua? Et ſi vehementius cordis tui ſtudium charitas eſt, cur illa tot affectiunculis vinci ſe patitur? Amor, Apoſtolus inquit, eſt legis complementum; quomodo vero dicere potes te Deum ex toto corde diligere, cum eidem ſexcentis in occaſionibus obedientiam detrectes, & nonniſi ex parte legem ejus obſerves? *Idem.*

Omnia peccata, Dei habita ratione magna ſunt.

At enim in levia tantum laberis crimina, & Deum in nullo eſſentialium articulorum lædere velles. Sed quid hæc ſibi volunt verba? Nonne hæc ſententia eſt animæ tepidæ, & languentis, cui imperata nullius momenti ideo videntur eſſe, quia imperantis juſſa eidem chara non ſunt; & quia peccata, quæ commiſit, ideo magna eſſe putat, quia longinquitas illa, quæ Deum inter, & ipſam interjacet, efficit, ut ex oculis ejus evaneſcat magnitudo illius, quem offendit? Peccata omnia nonne ideo magna ſunt, quia infinitam Dei laceſſunt majeſtatem? Nonne omnia ſanctitati Dei ſunt oppoſita? Nonne omnia illius potentiam provocant? Nonne illius bonitatem impugnant? Nonne omnia illi honorem auferunt, ejuſque gloriam imminuunt? Nonne gratiarum ejus inhibent curſum? &c. *Idem.*

Venialia peccata nebulem offundunt luminibus gratiæ.

Cujuſcumque naturæ peccata ſint, nonne omnia ſunt opera tenebrarum, ſemper aliquam ſecum caliginem afferentia? Statim quidem non aliud ſunt, quam leves vapores, qui paulatim ex impura aſſurgunt conſcientia, ſed qui tanta coaleſcunt in copia, ut tandem denſam conſtituunt nubem, quæ nobis adſpectum Solis juſtitiæ poteſt auferre. Inde illa oritur mentis caligo, per quam bonum a malo non ſecernimus; & quæ virtutes cum vitiis confundit. Inde fallax illa ſecuritas, quæ eos, qui hujuſmodi peccatorum habitum contraxerunt, contra Dei minas confirmat; efficitque, ut eo majori feſtinatione ad ſuum currant exitium, quominus periculum vident. *Idem.*

Exigua peccata ſpropter numerum ſi minus propter gravitatē ſunt metuenda.

Cum exigua peccata animæ tepidæ, atque negligenti non admodum oneroſa videantur, hæc illis ut plurimum abunde oneratur: hæc qualibet in occaſione, & quovis momento multiplicat; illa temere, & non hæſitanter committit; atque iniquitate indeſinenter ingraveſcente, accidit tandem, ut quod initio propter parvitatem erat contemptibile, multitudine grave fiat, nec ferendum. Hoc pacto nequiſſimi peccatores fiunt. Ille ad fortunæ apicem per injuſtitias extollitur, qui a modicis tantum furtis duxit initium, quæ pluries deinde iteravit, & quorum ſingula levis momenti eidem viſa ſunt. Statim quidem ille ſibi ſuum probavit crimen cauſatus, quod ea tantum, quæ ſibi neceſſaria erant, acciperet; ſed paulatim & commodum addidit, & ſuperfluum: Deſiderium ex egeſtatis ſqualore emergendi initio perſuaſit illi non magnum eſſe malum aliquid alieni ſurripere, nunc vero putat, nullum crimen eſſe illud ſub eodem prætextu retinere. *Idem.*

Peccata, quæ tanquā levia ſpectamus, in ſe gravia ſæpe ſunt.

Quis neſcit, inter periculoſiſſimas, vulgatiſſimaſque vitæ illuſiones non extremam eſſe, credere ea omnia, quæ committimus, peccata eſſe levia? Cum hæc ſint amoris proprii effecta, animum inducere vix poſſumus, ut oderimus illa, ac ea damnemus, ne & ipſi eodem momento damnemur. Cum peccato auferre nequeamus turpitudinem, propter quam horridum videtur, conamur ſaltem illi fucum allinere quadam excuſatione, ut nobis ferendum videatur, & ſi adeo temerarii non ſumus, ut actiones noſtras crimine vacare aſſeramus, ſatis ſumus verſuti, ut oſtendamus, plures eſſe illis nocentiores ... Nulla nobis enormia videntur flagitia, niſi ea, quibus immunes ſumus; & levia ea ducimus, in quæ labi conſuevimus. Et ſi verum eſt graviora ſcelera nobis exigua videri, ex quo committimus illa; quibus carebis, ſi ea ſolum evitare cupis, quæ magna putas? *Idem.*

Levia peccata, in quæ homo negligens labitur indeſinenter, levia quidem in ſpeciem ſunt, & gravia propter pericula, quibus nos objiciunt; peccata hæc per ſe minus levia, quam per induſtriam, qua ea nobiſmetipſis abſcondimus, quis prohibebit? quis eorum curſum inhibebit? Numquid honor, & officium? Mortalis putat inde honori ſuo nullam offundi poſſe labem; ac ſe arbitratur innocentem, quia eſſe poſſet nocentior. Numquid infidelitatum injuſtitia? Hæc numquam ſatis illius oculos perſtringit, ut moveat cor ... Vulnus ille ſentiret, ſi lethale foret ... Jam dixit Deus, qui ſe ipſum negligit, in fine ſtadii in quo adeo fidenter currit, præcipitium inveniet; & extremus lapſus, qui conteret illum, non aliud erit, quam continuatio lapſuum frequentium, ex quibus neglexit conſurgere. *Idem ferm. 4.*

Levia peccata nos ad graviora patrāda diſponunt.

In morum diſciplina, non ſecus ac in naturæ curſu nihil repente ad extrema feſtinat... Hic ad profundæ abyſſi adſpectum turbabatur, qui illam tutiori proſpectat oculo, eo quod eam ſæpius cominus intuitus eſt. Hic curioſus eſt; animum adjicit dubitationibus ſuis circa myſteria, quæ venerari debet; erit aliquando incredulus, & non amplius dubitabit. Illum ſecretarum etiam infirmitatum ſuarum pudebat; nonniſi pudoris ſui aliquando ipſum pudebit. Fluviorum celeberrimorum fontes perquirite, rivi ſunt ſine nomine; incendii alicujus cauſam ſcrutamini, ſcintilla erit. Vanus amoris proprii motus, inanis complacentia, ut plurimum, primi ſunt annuli catenæ illius, quæ nos obruit. *Idem.*

Facilitas venialia committendi peccata magna nobis affert damna.

Primus effectus noſtræ in venialibus peccatis evitandis negligentiæ eſt, in anima ſuffocare motus religioſi timoris, qui eſt ſapientiæ fundamentum: qua veritate nihil apertius eſt: Noſtræ religionis lumina nos ignorare non ſinunt, leviſſima etiam crimina noſtra diſplicere Deo: ſi verum haberemus illi diſplicendi timorem, numquid hæc crimina negligeremus? Noſtra in illis committendis audacia quid aliud eſt, quam animæ noſtræ rebellio jugum timoris hujus incipientis excutere? Alter hujus negligentiæ effectus hic eſt, quod ipſa in nobis imminuit horrorem, quem erga peccatum nobis inſpirat chriſtiana inſtitutio. Leviſſimæ noxæ aliquem ſemper habent nexum, ac rationem cum iniquitate: cum illas permittimus, cum hac, ut ita dicam, familiaritatem inimus; & hæc periculoſa familiaritas eum paulatim diſſipat horrorem, quo peccatum averſamur. Animæ oculi aſſueſcunt deformitati vitiorum, quemadmodum ſenſibilium objectorum turpitudini oculi corporis. Tales ſunt effectus hujus negligentiæ, cujus adeo parum metuimus exitum. Ecce quo pacto in nobis incipiat fundamenta pietatis evertere. Dei timor imminuitur, horror vitii infirmatur, ignis charitatis tepeſcit; poteſtne magis ad interitum anima properare? *Idem ſermone quinto.*

Veniale peccatum Dei offenſa eſt.

Peccatum, licet veniale, Deum lædit. Num aliquid requiritur præter hoc verbum ſerio meditatum, ut in anima chriſtiana impreſſionum omnium vehementiſſimam efficiat? Deum lædit, igitur eſt injuria facta huic majeſtati omnipotenti; Deum lædit, igitur rebellio eſt contra magnitudinem hanc dominantem; Deum lædit, igitur contemptus eſt hujus bonitatis infinite liberalis, atque beneficæ; Deum lædit! hic immoremur, atque conemur id mente aſſequi, quod duo hæc ſignificant verba. Ecce quid ideas noſtras reformare debet, quid noſtram vivendi rationem corrigere, quid omnem attentionem noſtram excitare, quid omnem fervorem noſtrum accendere.

Etenim quandoquidem veniale peccatum Deum lædit, atque, ut ita dicam, hoc Dei malum eſt, dico, malum hoc eſſe ſupra omnia naturæ mala: cur? quia hoc malum eſt eſſentialiter oppoſitum Deo, quod non ſunt omnia naturæ mala. *P. Valeſius tom. 4. operum Aſceticorum exhortatione de peccato veniali.*

Mundi totius jactura potius ferenda eſſet, quã unum veniale peccatum committere.

Ex hoc principio ſequitur, cum de totius familiæ, reipublicæ, ac mundi ageretur interitu, atque ut finis injiceretur flagellis, quæ regna, atque provincias miſere perdunt, bellis, peſtibus, annonæ caritati, ſatis eſſet ſemel unicum veniale peccatum committere, immo etiam illud poſt breve temporis momentum inſigni ſatisfactione reparare; dico ſatius eſſe familias ruere, Provincias depopulari, regna ipſa, & imperia igni, ferroque vaſtari, totumque terrarum orbem perire. Dicam amplius. Tot peccatores in terra perditionis viam ingreſſi damnantur; tot juſti in via ſalutis ambulant, & ſæpe intereunt; tot reprobi in inferno patiuntur, ibique in æternum patientur: tot beati in cœlo æterna mercede fruuntur: hæ animæ ſunt Deo pretioſæ, adeoque pretioſæ, ut illas totius ſanguinis ſui pretio redemerit. Hoc autem per adynaton poſito, quod unicum veniale peccatum ſatis eſſet, ut quidquid peccatorum in terris eſt, converteretur, ac revocaretur ad Deum; ut quidquid juſtorum eſt, in ſancta perſeverantia contineretur, & a lapſu alioquin inevitabili præſervaretur; ut ex inferno educeretur, atque in gloriæ ſinu conſtitueretur, quidquid reproborum in inferno torquetur; ut beatis omnibus certa fieret cœlorum poſſeſſio, atque ut prohiberetur, ne in abyſſum præcipites ruerent: ſi hac in re mihi relinqueretur optio, aſſentiri debeo damnationi peccatorum omnium, qui in terris ſunt, & reproborum, qui ſunt in inferno, necnon exitio eorum omnium, qui vel in mundo beati ſunt, vel in gloria beati, potiuſquam unicæ Dei offenſæ licet veniali aſſentiar. Cur? eamdem ſemper ob cauſam: quia interitus, & damnatio Angelorum omnium, omniumque mortalium a peccato ſejuncta, creaturæ dumtaxat malum eſt: cum e contra offenſa, licet venialis, Dei, malum Dei eſt, ideoque ordinis alteri cuicumque malo ſuperioris. *Idem.*

Parvitas in veniali peccato nos coram Deo minime excuſat.

At enim veniale tantum peccatum eſt, & hoc in peccato de re nullius momenti agitur; tu dicis, atque dicenti obſiſtere nolo: de re nullius momenti agitur; ſed ajo, hoc ipſum quodam in ſenſu nos efficere nocentiores, & ex levitate materiæ quodammodo venialis peccati gravitatem argumentor. Si enim de ingentis alicujus fortunæ acquiſitione, vel jactura ageretur; ſi vehemens aliqua cupiditas vel explenda eſſet, vel coercenda; ſi de gravi aliqua pœna evitanda, de ſuppliciis, qualia Martyres paſſi ſunt, deque ſanguinis effuſione, ſi de vita, aut de morte ſermo eſſet, itaut alterius quidem amor, horror autem alterius ex vobis crimen hoc extorqueret; vos ſemper damnarem, ſemper infirmitatem, ignaviam, & apoſtaſiam hanc improbarem; verumtamen vos damnans vicem veſtram dolerem. Dicerem inſignis fortunæ nitorem potentem illecebram eſſe, atque probata virtute opus eſſe, ut eidem obnitamur. Dicerem ardentem affectum, ac naturale ſtudium gravem eſſe tentationem, atque non communi vi opus eſſe, ne eodem pertrahamur. Dicerem tormentorum horrorem, mortis metum, vitæ amorem in corde validas impreſſiones efficere, atque confirmata opus eſſe virtute, quæ humanos ſenſus omnes excedat, ne iilis redeamus, ac ſuperemur. Dicerem; hic autem quid dicere poſſum? Et de quo quæritur? De verbo, quod retinere non vales, & potiuſquam illud retineas, ordini a Deo conſtituto obluctaris: de deſiderio, quod mortificare non vis, & potiuſquam illud mortifices, Dei ſpiritum contriſtas; de negligentia, ex qua temet recipere non vis, & potiuſquam aliquam tibimet inferas vim, Dei gloriæ adverſaris. Hæc olim erat Dei querela de populo ſuo apud Ezechielem Prophetam caput 13. *Propter pugillum hordei, & fragmen panis.* Detrectarunt eam, quam mihi debent obedientiam; me contumelia affecerunt; cur? ob panis offam. Hæc autem exprobratio vobis unice quadrat. *Idem.*

De habitu in peccato veniali.

Levis injuria venia digna eſt, ſed ex quo frequens eſt, fit non ferenda, nullaque patientia eſt, quam fatigare non poſſit. Recenſeamus ergo, ſi fieri poteſt, & videamus, quot in ſenſus noſtros, quot in ſermones, quot in actiones etiam, quæ per ſe ſanctiſſimæ habentur per tot annos, ſingulisque diebus peccata ſaltem venialia irreperunt. Stupor nobis incedet; terror nos apprehendet, atque, ut olim David Pſalm. 39. clamabimus: *Multiplicata ſunt ſuper capillos capitis mei.* Pauci ſunt in eorum etiam numero, qui pietatem profitentur, qui quibuſdam habitualibus peccatis obnoxii non ſint, in quæ inceſſanter labuntur, & ex quibus numquam reſipiſcunt. Neque putes, de his illos ante pœnitentiæ tribunal non confiteri. Hæc millies confitentur, & id ipſum ſingulis hebdomadis repetunt; eaque communis eſt, & fere unica confeſſionum materia. Non ſunt iſti pravi habitus peccatorum ſæculi, verum pravi habitus ſunt. In illis immorantur, in illis conſeneſcunt, & ad ſepulchrum uſque deferuntur. *Idem.*

Sæpe venialia peccata voluntarie patrantur.

Scio equidem non deeſſe quædam meræ fragilitatis crimina, quæ ne cogitantibus quidem elabuntur. Tunc ex inopinato occupamur, & ex negligentia labimur: eæque ſimplices potius imperfectiones ſunt, quam peccata; ſed quot aliæ ſunt noxæ, quas oculo tranquillo, ſedataque mente proſpicimus? Quot ſunt, quæ ipſa nobis exprobrat conſcientia, & quorum noſmetipſos pudet? ſed in quæ data occaſione relabimur, quantumvis nos urgeant ſtimuli, ac Deus ſuos nobis afflatus immittat? Ad hæc, facile committuntur, deque illis etiam nonnumquam gloriamur. Nobis honori vertimus, quod non adeo timidi, & religioſi ſumus, & majori cum licentia, quam alii, vivamus; quod non adeo ſumus diligentes, docileſque; quod non adeo cauti ſumus, atque, ubi adeſt occaſio, palam ſenſus noſtros exprimamus; quod non adeo noſtrummetipſorum ſimus inimici, quod rationem inveniamus commodorum omnium nobiſmet procurandorum, quod non adeo patientes ſumus, atque aliis timorem injicere novimus. Hæc jactitamus; & quin caveamus, utrum lædatur Deus, aſſertam hanc ab aliis diſtinctionem nobis vertimus in triumphum. *Idem.*

Religioſi peculiarem gerere debent curam ut veniale peccatum evitent.

Argumentum hoc ad vos potiſſimum pertinet, Animæ religioſæ, ac meretur, ut ſedulo animum advertatis. Attendite vos, qui mundum abdicantes, quem reſpexiſtis tamquam dominum curis veſtris indignum, peculiari devotione voſmet omnium dominorum primo conſecraſtis: attendite, ac vobiſmetipſis dicite: hac coram Sanctuario immodeſtia, hac in precibus evagatione mentis, hac irriſione, hac impatientia, hac verborum acrimonia lædo majeſtatem Dei, quem adeo ſolemni profeſſione colendum mihi propoſui. Attendite vos, quæ terrenas opes contemnitis, quas tamquam ineptiſſimas nugas, & inania phantaſmata reſpexiſtis, voſmet dominorum omnium maximo ſubjeciſtis: attendite, & vobiſmetipſis dicite: hac in re deficiens, regulam hanc infringens, hanc negligens exercitationem lædo ſupremum Dei dominium, cui tamen me palam ſubjectum iri recepi. Attendite vos, qui ex mundo egreſſi, quem tamquam innocentiæ, ſalutiſque veſtræ ſcopulum metuiſtis, in tuto eſtis, ac in domo Dei nullam tempeſtatem veremini: attendite, ac vobiſmetipſis dicite: mihi hanc permittens curioſitatem, mihi levem hanc oblectationem concedens, deſiderio huic nimis humano ſatisfaciens lædo bonitatem Dei, cui omnia debeo, qui me vocavit, qui me ſuo ſinu recepit, qui uti pollicitus eſt, me tamquam oculi ſui pupillam cuſtodit. *Idem.*

Scopuli, & conſcientiæ ſtimuli, qui veniale peccatum ſequuntur.

Quibuſdam momentis, quibus nos animat ignis, quibus loquendi prurigo nos excitat, vel exaſperat ira, quibus inſurgit ſuperbia, ſexcentiſque aliis in occaſionibus, nihil ad examen vocamus, & cæce eum quo rapimur, ſequimur motum; ſed cum ignis tenet, atque conſideratio ſupervenit; cum noſmet colligere incipimus, ac mente reputamus ea, quæ cogitavimus, quæ diximus, fecimuſque: cum hæc in ſanctuarii ſtatera appendimus, tunc conſcientiæ ſtimuli, atque tumultus excitantur. Neſcimus, utrum charitas læſa ſit, neſcimus, utrum traditum a nobis conſilium, & exemplum, utrum negotium a nobis ſuſceptum, utrum oblectatiuncula, qua gaviſi ſumus, triſtiſſimos habitura ſint exitus, & utrum de illis Deo rationem ſimus reddituri. Verbo, non audemus in ſtatu noſtro confidere, quia conſcientia tranquilla non eſt; quæ dubitationes, quæ ambiguitates; qui tumultus! beati nos etiam, qui adhuc ſalutaribus hiſce pœnis afficimur! *Idem.*

Periculum in quo ſumus de veniali peccato in peccatum mortale gradum faciendi.

Hæc adhuc ſcintilla eſt, eſto; ſed in hanc ſcintillam perfla, & illa adhæreſcat, atque ſeſe extendat, & videbis quodnam excitabit incendium.... Expecta adhuc pauliſper, & id ex effectu cognoſces. Advenit momentum, momentum illud fatale, & periculoſum. Eheu, Domine, niſi hanc animam non communi gratiæ tuæ conatu protexeris, de illa actum eſt. Sed o formidabile Dei judicium! Tot gratiarum contemptu irritatus, quin ſuſtineat illam, derelinquit; hoc eſt, renuit illi peculiare illud ſubſidium, potentem eam gratiam, qua illa ſe præbuit indignam: hoc eſt, illi eas tantum gratias relinquit, quæ inferioris ſunt ordinis, quæ illam quidem tueri poſſunt, ſed non

non tuebuntur. Concutitur, ſuperatur, ſuccumbit, interit. Ubi vero ſemel id cauſa fuerit, quid deinceps non audeat? *Idem.*

Niſi eumdem zelum habemus, quem tot Sancti habuere ad hæc omnia levia crimina per pœnitentiam expianda, eamdem ſaltem habeamus diligentiam, ut ſanctiores, & cautiores impoſterum efficiamur. Niſi in id curam impendimus, ut debita diſſolvamus, eadem augemus. Heu! dicimus aliquando nolle nos tam cito ex humanis decedere; nondum enim tot merita ſumus adepti, quæ ſufficere valeant: hoc ex religionis ſenſu dicimus; & ſenſus hic laude dignus eſt. Verum ſæpe feſtina mors nonne optabilior nobis eſſet, qui pauperes ſumus, boniſque operibus carentes, quam vita diuturna, quandoquidem annorum noſtrorum numerus nonniſi auget numerum peccatorum noſtrorum? Sed non ita, Domine; gratiæ tuæ beneficio vivemus, & gratiæ magis adhuc pretioſæ beneficio vivemus tibi. Tot peccata miſericordiam tuam fatigare non potuerunt; ſanctus fervor juſtitiam tuam mulcebit. *Idem.*

Cum Deus noſter ſit pater, noſque Filii ejus, adnitendum eſt, ne illi hoc peccatorum genere diſpliceamus.

Quid diceres de filio, qui omnia erga parentem ſuum officia in eo conſtitueret, ut eidem in rebus momenti majoris præſtaret obedientiam, & illi nequaquam contumeliam inferret, ſed eidem ſexcentis in rebus dolorem afferret, atque ubi ſeſe offerret occaſio, non adlaboraret, ne illi diſpliceret: & nullam ſibi aſſumeret earum curarum, quæ quo leviores ſunt, eo magis filii probant amorem, quam officia eſſentialia, quibus nemo deeſſe poteſt, niſi prius omnem abjecerit humanitatem? Patri hæc filii ſui agendi ratio placerene poſſet? An immo majori inde afficeretur dolore, quam ex inobedientia, & furore filii ſui? Hoc tamen noſmet gerimus pacto erga Deum, qui pater noſter eſt, ac patrum omnium optimus, cum ita venialia peccata negligimus, & credimus poſt hæc futurum, ut Deo placeamus. Videtur ille quodammodo minus affici gravibus flagitioſi alicujus, vel infidelis criminibus. *P. Nepveu tomo tertio conſiderationum pro tertia die Auguſti.*

Saltem cum Deo non ſecus ac cum hominibus noſmet gerere debere mus.

Amicus, qui ſeſe intra eſſentialia dumtaxat officia continet, non eſt verus, commoduſve amicus. Amicum non amo, qui operam ſuam mihi tunc tantum impendere vult, cum in gravi aliquo periculo, vel in extrema neceſſitate conſtitutus fuero. Avertat Deus quod unquam viæ hujus hominis indigeam. Amicum amo, qui omnibus attentus ſit occaſionibus gratificandi mihi, qui illas inquirit, atque prævenit, qui metuit, ne mihi minimis etiam in rebus diſpliceat. Hæc res levis eſt, verus amicus ait, ſed amico meo diſplicet, igitur evitanda eſt. Nihil modicum eſt eorum, quæ vel placent, vel diſplicent illi, quem amamus. Hos ſenſus tenera, ac ſincera inſpirat amicitia, & qui hos ſenſus non fovet, vel non amat, vel parum amat. Heu! nunquid poſt hæc, o Deus, dicere poſſum a me te amari, cum adeo parum perhorreſcam diſplicere tibi ea committens crimina, quæ ideo levia nuncupo, quia te frigide diligo! *Idem.*

Per veniale peccatum Deo dedecus affertur.

Minus ſæpe nos lædit inimici alicujus odium, aut contumelia, quam amici leves quidem, ſed frequentes infidelitates. Quomodo autem non metuo, o Deus, effectus neligentiæ meæ, mearumque frequentium infidelitatum erga te, quantumvis hæ leves mihi videantur? Quomodo ita vivens non communes ſperare poſſum gratias, quibus nihilominus adeo frequenter indigeo? Hoc eſt, Domine, in me quidem juſtum non eſſe, in te vero multo minus; hoc eſt vel parum metuere, vel nimis contemnere. *Idem.*

Deo magis diſplicemus unico veniali peccato, quam eidem placere poſſimus toto eo cultu, quem eidem poſſumus adhibere. Licet maxima quæque facerem, licet difficillima quæque conarer, licet graviſſima quæque propter Deum ſuſtinerem, licet gloriam illius impenſius, utiliuſque procurarem, quam omnes ſimul fecerunt Apoſtoli, minus adhuc illum honorarem, quam cum dedecore afficiam unico veniali peccato; ideoque non licet unicum veniale peccatum committere, ut maximam Dei gloriam procurem, quamvis de mundi totius converſione ageretur. Ita cum bonum illud feciſtis, vel omiſiſtis ob humanos reſpectus, vel in eo cum inani quodam oblectamento permanſiſtis; cum mendacium aliquod protuliſtis, ac vobiſmet leviuſculam obtrectationem aliquam permiſiſtis; nunquid credidiſtis, nunquid cognoviſtis, Deum a vobis majori affici injuria, quam affici potuiſſet honore Sanctorum omnium cultu, adorationibus, ſacrificiis? Quantum cogitatio iſta inanem retundere debet jactantiam, qua cor noſtrum intumeſcit, ubi illud intuemur bonum, quod agimus, & noſtram augere confuſionem, atque dolorem ob venialia peccata, quæ committimus! Hæc ſi vera ſunt, quantumvis virtute præditus videatur aliquis, quantacumque pro Deo fecerit, ſi vel unum veniale peccatum commiſit, ullane citra cæcitatem, atque injuſtitiam fovere poteſt vanitatem? *Idem tomo 2. pro nona die Junii.*

Veniale peccatum ſæpe graviorum eſt cauſa.

Veniale peccatum non eſt ab extremo fine aberratio, ſed diverticulum: ſed qui frequenter divertit, denique aberrat. Non eſt inimicitia cum Deo, ſed tepor quidam, qui ad inimicitiam diſponit. Qui Deum negligere conſuevit, quod per veniale peccatum fit, eum tandem contemnit. Qui vere amat, repente non odit; ſed qui amat parum, facile amicum negligit. Negligentia hæc non longe abeſt a frigore, nequo fuſius ab odio, vel contemptu. Voluntaria in oratione diſtractio nihil eſſe videtur: tamen ſæpe cauſa eſt, vel occaſio pravæ cogitationis, prava cogitatio noxii deſiderii, noxium deſiderium peccati mortalis, mortale vero peccatum damnationis. Si ad hæc adverteres animum, nunquid flocci faceres voluntariam in oratione diſtractionem, vel quodcumque aliud veniale peccatum, *Idem tom. 1. conſideratione 20. die Februarii.*

Quod diſplicet Deo, modicum exiſtimandum non eſt.

Pro certo habeatis nil modicum eſſe ex iis, quæ diſplicent Deo, & voluntatibus, nutibuſque illius opponuntur. Peccata omnia ſunt inobedientiæ, & quæ levia videntur, ubi cum gravibus malis conferuntur, gravia ſunt, ubi comparantur cum Dei majeſtate, vel ubi effectus, exituſque eorum conſiderantur..... Sanctus Chryſoſtomus homilia 87. in Matth. jubet nos omni niſu contendere, ut levia hæc eradicemus crimina, & quin in eo immoremur, quod in ipſis nobis leve videtur, illa tamquam magnorum malorum origines reſpiciamus...... Et Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 129. de hoc eodem loquens argumento, levia peccata pluviæ comparat, quæ quamvis guttatim decidat, fluminum tamen alveos replet, ac eas parit inundationes, quæ ſecum arbores, atque mapalia trahunt, agroſque miſere perdunt. Quid intereſt, idem Sanctus ait, utrum navis tota ſimul pereat ſæva tempeſtate victa, an aqua per fatiſcentis carinæ rimas ingreſſa ſenſim, ac ſine ſenſu ita obruat illam, ut nullo opem ferente mergatur? Et alibi: Abjeciſtis, ait ille, magnorum ſcelerum ſarcinam, cavete, ne parvulorum copia vos opprimat. *Abbas Teappenſis tomo 1. officiorum vitæ monaſticæ, tractatu de amore Dei, cap. 7.*

Veniale peccatum aliquid magnum eſt, ſi in ſe ipſo ſpectetur.

Hæc crimina non ſolum tunc magni momenti videntur, cum ſimul glomerantur, vel cum omnes eorum conſiderantur effectus: ſed etiam cum ſeorſim, ac ſingillatim inſpiciuntur. Si quis aliquid auſus eſſet morte dignum, nonne dementis eſſet, aſſerere illum leviter tantum deliquiſſe? Hujuſmodi facinus apud ſapientem virum nullius momenti eſſe habendum. Attamen qui hæc negligunt peccata, quæ parva dicuntur, eaque ſine ullis conſcientiæ ſtimulis committunt, multo minus rationabiles, ac juſti ſunt: affirmare enim poſſumus nullum eſſe id genus crimen, quod ſupplicium aliquod ipſa morte majus non mereatur: ea peccata, quæ lacrymis nequaquam expiata fuerint, flammis eſſe punienda, & electorum crimina, quæ per pœnitentiam deleta non fuerint, poſt mortem in iiſdem pœnis eſſe coercenda, quibus in reproborum ſcelera eſt animadvertendum, cum hoc tantum diſcrimine, quod in illis aliquem, in his autem nullum finem invenient. Dicant igitur homines, quodcumque ipſis placuerit, ut ſibi hanc abſcondant veritatem, quæ inſuavis ipſis videtur, non prohibebunt tamen, quominus fideles nos doceat, quodcunque per pœnitentiam expiatum non fuerit, per ignem eſſe traducendum: *Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* 1. ad Cor. 3. *Idem.*

Hæc Dei ſuprema majeſtas, infinita hæc excellentia in hominibus quærit tantum grati animi ſenſum, adeo latos, perenneſque honores, ut ea, quæ illam offendunt, quantumvis minima ſint, eam contrahant injuſtitiam, & deformitatem, quæ intelligi nequit. Si fides noſtra eſſet ardentior, quam re ipſa eſt, unicum veniale peccatum magis, quam decem mille mortes timeremus. Ne miremini igitur, Si Sancti Joannis Climaci ſpecus clamoribus, atque julatibus ejus reſonet; ſi Sancta Catherina Januenſis ad levium horum criminum, quorum ipſi magnitudinem perpendere abnuimus, intuitum ſeſe velit in ignem conjicere, ſed miremini, quod Chriſtiani inveniuntur, qui ſcientes a Jeſu Chriſto juſtos eſſe judicandos, citra metum, atque religionem ultro hujuſmodi peccata committunt. *Idem.*

Omnia potius perdere deberemus, quã unum veniale peccatum committere.

De veniali peccato quid docet nos fides? Si unicum proferendum eſſet leve mendacium nemini obfuturum, ut omnes obtinerentur theſauri, honores, voluptates,